CAROLI VALESII DVBOVRGDIEV

Physici Patria Burdegalensis

COMMENTARII DE PESTE, ET EXANTHEMATIBVS

AD

ALEXANDRVM VII. PONT. OPT. MAX.



ROMÆ, Typis Ignatij de Lazaris. 1656.

SVPERIORVM PERMISSV.

SANCTISS. D. N. AC BEATISS. PATRI

ALEXANDRO VII.

CAROLVS VALESIVS DVBOVRGDIEV PHYSICVS.

PERENNEM SALVTEM, AC FOELICITATEM.

V*INDICASTI hactenus*, ALEXANDER VII. *immensis curis, ab imminenti exitio Romam; ne pestis contagio serpens latius, eam in suorum ciuium sepulchrum verteret: nouaq; augustioris dignitatis, ex publica non Vrbis modo, sed reliquæ Italiæ salute parta accessione, ac trina titulorum maiestate coniuncta, verè Pontificem, Regem, Patremque egisti: vt iure trino diademate radiatum tuum verticem, supplice trina veneratione adoremus: vt Pontifex enim sacris precibus conciliare mortalibus iratum numen eniteris, vt Regum Rex, & exemplar, Regibus exempla futurorum seculorum prædicatione celebranda statuis, qua diligentia pro salute clientum excubare debeant: vt Pater amantis-*

ſimus, pro ſeruando Populo Romano, veluti dilectiſſimorum filiorum primogenito, nullis curis, nullis ſumptibus, nullis laboribus peperciſti: atque ex calamitatis funeſtæ terrore, pontificiæ virtutis exercendæ, regiæ liberalitatis profundendæ, paterni amoris explicandi argumentum decerpſiſti: ac veluti nouus Alexander fœlicitati orbis non vaſtitati natus, non de cæſarum gentium carnificina, non de expilatarum prouinciarum ſpolijs, non de exciſarum Vrbium buſtis, ſed de ſeruatis gentibus, de profuſo pro ſalute publica ærario, de vindicatis à peſtis excidio Vrbibus, latiſſima trophæa non terris modo, ſed etiam cœlo celebranda, non inanis gloriolæ fumos aucupaturus, ſed veræ gloriæ radios collecturus defigere, immenſamque curarum molem in te ſuſcipere, vt priuatorum curas aboleres, decreuiſti. Quid enim trepida, ac diſſona medicorum cohors, celerem etiam ex Vrbe arreptura fugam, niſi ipſam grauiſſimis edictis frænaſſes, in ancipiti periculorum tempeſtate molita eſſet, Neapolitana calamitas indicat: niſi veluti Vrbis, orbiſque anima, ſingula illius membra in officio, ac primæuo robore continuiſſes; adeo vt ipſa peſtis ſemina, quæ ex Neapolitano buſto volitare Romæ cœperunt, iam quadrimeſtri flexu, & amplius pontificio ſtudio repreſſa, regio imperio per adminiſtrorum induſtriam, ac laborem coercita, paterni amoris admirando molimine extinguenda, fundere tibi germina gloriæ, trophæa pontificiæ pietatis excitare, triumphos cœlo inſtruere videantur, & mortium ſpicula, in immortalitatis auſpicia te docente conuertantur. Celebra-

ram

ram antea ſoluta, & ſtricta oratione fœlicia tui pontificatus auſpicia, & diſquiſitiones theoricas, & practicas febrium tui nominis ſplendore illuſtrandas expoliebam, cum publicæ ſalutis diſcrimen me excitauit, vt labore interrupto commentarium de peſte, & exanthematibus ederem: non quod in ampliſſimo medicorum Senatu, à tua Beatitudine vocato, interque tot alia ſapientiæ adiecta lumina, poſt latas tot grauiſſimas pro aſſerenda Romana ſalute leges. quæ ex amantiſſimo tuo pectore, ceu paterni amoris ara, conſilij fonte, ſapientiæ arce manarunt, neceſſariam meam operam cenſuerim: ſed ne meo deeſſem muneri, cum pro extinguendo publico incendio omnium ſtudia concurrant, pluresque etiam ſe veluti victimas publicæ ſalutis vltro offerant, ne Roma orbis regia, Chriſtianarum gentium gloria, tot domina prouinciarum in titulum ſepulchri, vaſtata peſte abeat. Non aliter ergo quam naufragus inops opulentiſſimos, ac peritiſſimos nauarchos amanter interdum admonuit, ne ad latentes ſcopulos nauim Orientis ſpolijs, exterarum gentium opibus, & oceani theſauris onuſtam allideret, ita ego in hac peſtis non epidemicæ, ſed contagioſæ tempeſtate, quæ Neapolim, aliaſque Vrbes, & oppida merſit, inque Tranſtyberinæ regionis ſalo furentes fluctus allidit, conſilia, quæ mihi ad eam propulſandam, percurandamque viſa ſunt ſaluberrima, explico. Tu vero (Beatiſſime Pater) *non muneris tenuitatem, ſed animum offerentis ampliſſimum, more numinis, cuius vicem in terris geris ſpecta: quantumuis enim exiguum*

ſit

ſit hoc nouum noſtræ erga tuam Beatitudinem obſeruantiæ pignus, creſcet tamen dignitate, ſi benignè illud tua Sanctitas velut ſuum admiſerit, cuius omnia niſi maxima eſſe non poſſunt; quique ingenia alere conſueſcis, vt qui omnes gradus, virtutum gradibus, ac prodigijs emenſus, etiam ſplendore ingenij illuſtraſti: Carolum Valeſium Sanctiſſimis Pedibus aduolutum, precantemque Deum immortalem, vt te diu Vrbi, & Orbi incolumem ſeruet: benignè foue, ac tuere.

NOS

NOS Benedictus Rita Leonissanus in Almo Vrbis Archigymnasio publicus Medicinæ Professor Collegii Archiatrorum Romanorum Prior, & Almæ Vrbis, ac totius Status Ecclesiastici mediatè, & immediatè Sedi Apostolicæ subiecti Protomedicus Generalis commentarios peritissimi, ac Excellentissimi viri D. Caroli Valesii Dubourgdieu, Patria Burdegalensis de Peste, & Petechiis maiori, qua potui, diligentia perlegimus, eosque nihil orthodoxæ Fidei nihil probis moribus aduersum continere cognouimus. Hac die 12. Iulii 1656.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. M. Sacr. Pal. Apostol.

M. A. Oddus Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Magister Sacr. Pal. Apost. Ord. Prad.

IN-

INDEX CAPITVM.

CA-

CAROLI
VALESII DVBOVRGDIEV
Physici patria Burdegalensis Commentarij
DE PESTE
Quid sit pestis eiusque definitio.
CAP. I.

DICTVRI de peste, intercisa in singultus vox, humanarum calamitatum pompam explicat, atque in Plinianam sententiam, lib. 7. naturalis historiæ cap. 50. erumpit: *Incertum ac fragile nimium est, hoc munus naturæ, quidquid datur nobis: malignum vero, & breue etiam in ijs quibus largissimè contingit, vniuersum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque*

spatio vitæ suæ viuit, pars æqua, par morti similis exigitur aut pœna, nisi contingit quies: non reputantur infantiæ anni, qui sensu carent, non senecta in pœnam viuacis. Tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. At imprudentis est inuocare mortem, quæ cum instructas pestium acies eduxerit, ita sola sui pompa vel vmbra nominis terret, vt medicos etiam qui morbos mortemue ex ægris corporibus depellere gloriantur, in effusam fugam auertat: quis enim illi edomandæ par esse possit, quæ vt ait Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem *tanquam existat quædam bellua haud paucos interimit, verum ciuitates quoque totas depascens male conficit*: Si tonsuram generis humani cum Tertulliano illam appellaueris, non aberras: nam vt luxuries crinium tondetur ferro, & nimium lasciuientes arbores amputantur; ita pestis certo temporum flexu, nimium lasciuiens humanum genus demetit: si diuinæ iræ gladium dixeris, Chrysostomo consenties: nam districtum hunc gladium, modo ab angelis bonis, modo à dæmonibus theologi ferentur: nec enim incusandos syderum aspectus, non malignos influxus in insidiam adducendos, non expirationes putridas terrarum damnandas, non aeris intemperiem vituperandam, non cacochymiam corporum, non ventorum flatus, non importunos imbres, non siccitatem nimiam, non aduectum ab exteris oris pestilentiæ dirum fomitem in crimen vocandum

 aiunt:

aiunt: cum nil in terras e cœlo influat, quod non ex senatusconsulto cœlestis Imperatoris emanarit: Sed hæc relinquamus Theologis quæ medica sunt ipsi pertractemus.

Monemus in primis medicum tyronem, vt in memoriam reuocet, ac conferat inter se malignæ febris, & pestilentis morbi, & pestis, & contagij discrimina nam maligna febris non est pestilens nec quiuis pestilens morbus pestis est, tum inter pestem epidemicam, & contagiosam magnum discrimen intercedit.

Malignus morbus (inquit Galenus) *in Isagoge magnus grauisque est potestate, specie vero imbecillis, nec tempora certa habet iudicationis*; pestilentem vero febrim in libro definitionum medicarum, ex Symptomatum Syndrome describit. *Febris pestilens est, quæ cum multa caliditate sitim inextinguibilem inuehit, bilis omnis generis vomitus, fœtidas alui excretiones ac virulentas, vt paludum graueolentiæ sint quæ excernuntur similia, vrinas multas ac tetri odoris, pulsus paruos obscurosque inducit.* Sunt hæc frequentiora symptomata, quæ in febribus pestilentibus vigent, verum alijs interdum symptomatibus stipari solent: quare in commentario primo in sextum epidemiorum Hippocratis febrim pemphigodea in qua ægri corpus pustulis aspergitur pestilentem vocat: certe non raro huiusmodi febres pestilentiæ esse prodromos funestis experimentis compertum est: itaque febris pestilens a maligna differt, quod symptomata gra-

uiora præ se ferat, a peste vero cum qua habet analogiam, discrepat; quod licet ægro inferat exitium, circumstantes non facilè inficiat: atque adeo ex parte tantum naturæ pestis particeps est. Pestis vero non modo laborantem perimere, sed in propinquos etiam labem suam transfundere solet: quare à Galeno, in commentario in lib. Hippocr. de ratione victus text. 9. *epidèmia pernicialis* scilicet non tantum ægro, sed etiam circumstantibus appellatur. At obiiciet quispiam cum Petro Salio Diuerso lib. de febre pestilenti cap. 11. non omnes pestes licet ægris portendant exitium, non tamen circumstantia quæque inquinasse: idque patere ex historijs, cum Hippocrates, & Galenus cæterique artis medicæ professores, dum pestes sæuirent nullo contagij respectu pertractarent ægros, nec laborantium contactum declinarint: nec declinandum alios monuerint. Confirmari id cuipiam videbitur ex verbis Hippocratis, lib. 3. epidemiorum vbi de statu pestilenti hæc enunciat, *non cuiuscumque morbi nomen est epidemium, aut pestilentiale, sed cum multos in vno loco morbus prehenderit epidemius nuncupatur: progressu vero cum multos in eo loco perimit pestis fit.* Denique contendit Petrus Salius, in Ægipto, & Syria, & Asia minori, sæuire plerumque pestem: nec tamen Turcas ægrorum familiaritatem auersari, & crimini vertere si eorum consuetudinem defugerint.

Respondeo ad primum, Hippocratem veluti

rem

rem perspicuam præterijsse silentio, vel non omnia medica arcana callere potuisse: quod vero ad Galenum attinet, respondeo Salium dum scriberet, non meminisse Galenicæ huius sententiæ in libro de differentijs febrium cap. 2. *quod aeris pestilens Status febrem afferre consueuit nemo dubitarit sicuti & pestilenti morbo laborantium conuersatio periculosa: ne inde contagium contrahatur sicut ex scabie, & lippitudine*. Ex mente igitur Galeni, quem omnes fidissimum, & acutissimum Hippocratis interpretem celebrant: Concludo Hippocratem vocasse pestem, eum morbum, qui multos in vno loco conficit cum ob familiarem sanorum cum ægris consuetudinem, venenum latius serpit: vt vero contagium à peste differat, quod solo venenati corporis contactu per morbosam anathymiasim siue expirationem inquinet sine comuni aliqua causa inferius dicetur: in pestilente vero constitutione, non ab alio, sed in se pestilentiæ semina ægri concipiunt, ac veluti mali fontes deriuant in circumstantes *periculosum enim conuersari cum ijs qui putridum expirant*, ait Galenus: Modo obseruandam quarumdam Græcarum vocum interpretationem admonemus; nimirum epidemios morbos appellari, qui in populo grassantur ex aeris vitio, mitiores autem sunt quam pestilentiales, qui epidemiorum sunt teterrimi, ijdem ἐπιδήμιοι, id est populares, si omnem circiter populum exerceant, πανδήμοι vt refert Paulus Ægineta siue παγκοίνοι vocantur, ἐνδήμοι

ve-

vero ſiue patrii, & vernaculi, ii dicuntur: qui in aliqua tantum regione ob victum, vel aerem, communes ſunt: ita ex niualibus aquis Alpinos bronchocele laborare cernimus: quos Plinius, & Vitruuius gutturones appellant quod affecti gutturis muſculi affluente nimio & craſſiore alimento præter naturam increſcant: ita viſæ Saracenæ gentes, quæ horrendum fœtorem efflabant corporibus, ac diuino tantum miraculo nimirum baptiſmalibus ſacris ablutæ fœtore liberabantur. His explicatis reſpondeo ad experientiam, quæ petita eſt à Turcis, ac nego peſtem contagij diſcriminis expertem eſſe Turcas vero vt refert Natalis comes lib. 21. hiſt. Stulta Chryſippi, & Ethnicorum qui ſempiternam, & indeclinabilem ſeriem rerum induxere opinione imbutos; atque adeo temere in bello ancipites periculorum tempeſtates inire: nec peſte percuſſos declinare; fatuum porro omnino eſſe illum ex Auguſtino, qui credat fatum: ac propter imprudentiam ipſorum, non mirum eſſe ſi toties peſtis inter eos recrudeſcat; atque horrendas interdum ſtrages ediderit: nec vero mirum eſt: ſi plures robore, & temperamento corporis præſtantes ex periculo euolent, cum etiam veſpillones, & alij qui peſte laborantibus præſidia afferunt, ab omni contagione immunes euadant: vt impauidi ruinas orbis excepturi ſuis ceruicibus videantur. Stat ergo concluſio noſtra: peſtilentem febrem eam eſſe, quæ Symptomatum vehementia, ac pernicie, cum peſte analogiam habet; non

ta-

tamen contagione, vt pestis inquinat: pestem vero, quæ non modo exitium inferre, verum facili contagione vulgus contaminare solet. itaque epidemicam, & contagiosam vniuersali definitione complectendo, *Pestis est morbus exitialis venenata expiratione circumstantes facile corripiens* nunc de pestis causis differamus:

De pestis causis externis.

CAP. II.

PEstis aliæ sunt causæ naturales, aliæ præter naturæ ordinem fluunt: sunt enim non raro pestes, iusta criminum stipendia; exercitæ à dæmonibus carnificinæ; incussæ à supremo vindice supplicia, quæ à pijs in diuinæ prouidentiæ beneficia, in semina immortalitatis, in æternitatis xenia, quadam arcana, & admirabili metamorphosi conuertuntur. Infligi à vindice scelerum numine sacris oraculis confirmatur: Leuitici cap. 26. *Percutiam vos septies, propter peccata vestra, inducamque super vos gladium vltorem fœderis mei, cumque confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri.* Moses etiam, cum malorum conglobata agmina, & mille dirarum terrorem, diuinæ legis præuaricatoribus obijceret Deuteronomij cap. 28. pestem à numine infligendam prædi-

dixit: *Adiungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra* nec latuit Hippocratem, media gentilitij erroris caligine obrutum, nonnullos morbos diuinitus incuti: quare in prognosticis iussit inquiri à medico, *Si quid diuinum inest in morbis*, & licet Galenus, interpretetur illud τὸ θεῖον, *præsentem circumfundentis aeris cōstitutionem* ex qua nempe, & aspectu syderū, natura epidemiorum morborum præcognosci possit: tamen per θεῖον certum est Hippocratem diuinam causam intellexisse; veluti cum in libro de natura mulieris, conformandorum humanorum corporum causam, diuinam esse profitetur: Cæterum numen, modo in accendenda peste angelis bonis, modo malis, modo influxu syderum, modo causis sublunaribus vtitur. Siquidem, vt ait Augustinus *Melius iudicauit Deus, de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere*. De peste, angelorum bonorum veluti stipatorum diuinæ maiestatis impressione hostili incussa, experimentis certis compertum est: Perfusus enim lachrymis secundus Hebræorum Rex, testem oculatum se exhibet, qui Angelum septuaginta millia Israelitarum, peste tribus diebus confecisse, ob plebis scelera, scelere regio cumulata, vidit; vt sacer Paralipomenon liber, cap. 20. ad erudiendam piam posteritatem narrat. *Vidit*, inquit, *Angelum Domini, stantem inter cælum, & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem.*

Nec desunt in christiani imperij annalibus si-

milia

milia exempla, nam D. Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 50. antequam duo filij Chilperici Regis francorum peste extinguerentur, testatur D. Saluium Episcopum, cum in regio palatio oculos in cœlum extulisset, in has voces prorupisse: *Video euaginatum iræ diuinæ gladium super domum hanc dependentem.* Paulus Diaconus, lib. 6. cap. 5. refert Constantini Pogonati Imperatoris Constantinopolitani, & Agathonis III Pontificis temporibus, labente anno redempti humani generis sexcentesimo octuagesimo: in ea peste, quæ Romam, in funerum campum, & calamitatum catastam vertit: visam pestem ab Angelis infligi: *Tunc* (inquit.) *visibiliter multis apparuit: quia bonus, & malus Angelus noctu per ciuitatem pergerent, & ex iussu boni Angeli, malus qui videbatur venabulum in manu ferre, quoties de venabulo cuiuscumque domum percussisset, tot de eadem domo die sequenti homines interirent.* Hæc ille: quod vero non tantum Angeli boni, vt milites numinis, sed etiam dæmones, vt diuini iudicis carnifices, pestem in humanum genus effundant, agnouit Hippocrates in libro de insomnijs: Sed stultè, & impiè veluti malorum auerruncatores placandos existimauit: exercebant nimirùm infernales lamiæ, aduersus cultores suos, sæuissimam tyrannidem, permittente scilicet æterno numine, quoties earum mancipia iniuria aliqua ipsas affecissent: ita Homerus canit, à dæmone qui fallaci Apollinis adumbrati nomine colebatur à Græcis,

pestem sæuissimam in Græcorum exercitum immissam; cum illi Briseidem sacerdotis Apollinis filiam à prophanis aris, stupri causa abripuissent: ita Pius II. in cosmographia, Chromerus, & Michouias, in Polonica historia narrant, Lithuanos antequam euangelica luce collustrarentur Vuladislai Iagellonis Regis opera, à dæmone, qui in serpentibus, & arboribus se coli iusserat, grauissimè diuexatos, admiratosque Christianorum vim, qui sine vllo discrimine serpentes pro numine adoratos flammis traderent, perpetuos ignes extinguerent, sacros lucos exciderent. ita D. Gregorius Nyssenus, in Gregorio Thaumaturgo recenset, Neocæsareæ à dæmone pestem concitatam, cum illi in amphiteatro, ob confertam multitudinem penè elisi rogassent dæmonem, sub ementito Iouis nomine, vt ijs daret locum: quo cognito sacrilegio, Thaumaturgus prædixit; maiorem laxitatem quam optarent datum iri: ac mox plausus, horrenda peste tactis Neocæsariensibus, in nænias versi vtque pestis author agnosceretur prouidit numen: *Nec inopinato (inquit Nyssenus) malum homines inuadebat, sed si spectrum quoddam ad eas ædes quibus pernicies imminebat, accideret, ita certum exitium subsequeretur.* Ita Procopius lib. 2 de bello persico dum pestem immanissimam, Iustiniani temporibus incanduisse tradit historiæ, id posterorum memoria celebrandum scriptis commendauit: *Phantasmata dæmonum, multis humana specie visa sunt, quot enim*

in

in ipsa inciderent, percuti se ab aliquo viro putabant morbusque subito irruebat, nonnulli ab initio verbis sanctis, ac alijs vt poterant supplicationibus eum auertere frustra quærebant, ac tanquam lymphati, seu spiritu maligno agitati, amicos vocantes minimè audiebant, in locis quoque angustis coercebantur, nonullis verò in somnis hæc eadem accidebant.

At quia improuida, & cœca mens hominum, eorum præcipuè qui sapientiæ gloriam, & inanes politioris ingenij assentatiunculas aucupantur, hęc omnia inanibus delirantium ludibrijs tribuit: edocuit pluribus alijs prodigijs humanum genus diuina prouidentia, pestes tanquam iacula è diuinę iustitię arcu vibrari: in ea enim peste quę Mauricij Imperatoris anno quinto grassata est, vt diui Gregorius Magnus dial.lib.4.c.36. & Gregorius Turonensis lib.10 cap 1. narrant visę sunt sagittę, cœlo contortę in homines, quos mox pestis improuisa percussit, quod palam notum fuisse in Vrbe testantur. Antequam etiam diuina prouidentia, quæ tuetur Christianum Imperium, sexcenta Vzorum millia, qui è Scythia erumpentes, transmisso Istro, ferrum flammasque per Gręciam ad Thessalonicam vsque circumferebant, peste conficeret: cum Constantinus ducas Saracenico pressus bello, imparque viribus, tantum precibus votisque pugnaret: conspectę sunt volitantes in ęthere acies; vt narrat Curopalates: quę sagittis crebro emissis, vniuersam gentem peste interituram confixerunt.

Impressa alias perituris peste hominibus cœlitus signacula fuere, vt quasi pecudes quas pestis depastura erat, signo lethali, ad lanienam distincti viderentur, hæc enim Paulus Diaconus, de gestis Longobardorum lib. 1. cap. 4. ad Iustiniani trigesimum nonum annum refert: *In Liguriæ prouincia, maxima pestilentia exorta est, subito enim apparebant quædam signacula, per domos, ostia, vasa, vestimenta, quæ si quis voluisset abluere, magis magisque apparebant.* In Græcia Constantini Copronymi anno imperii VI. impressa perituris peste crucis signa fuere, vt narrat Theophanes: *Cœperunt*, inquit, *fieri subito tam in hominum vestimentis, quam in sacris ecclesiarum indumentis, & in velis, cruciculæ plurimæ, veluti ex oleo designatæ: facta est ergo hinc tristitia, & defectio animi, propter dubium eiusmodi signum.* Perculit stupore incredibili idem prodigium, exoriente sæculo decimoquinto, Imperante Maximiliano Cæsare ad quem Leodiensis Episcopus, miraculi historiam literis descriptam transmisit; nam in candidis mulierum peplis virumque iudumentis, cruces nunc atræ, modo sanguineæ expressæ, terrore spectantes defixerunt. Quod prodigium, pestis ingens Nauclero teste in extrema operum calce, consequuta est. Naturales causas huius prænuntij pestis prodigii, magno ingenii molimine, ac torsione perscrutati Physici in corruptionem aeris transfuderunt: qui nimirum permixtione venenati mixti, quod ex terris vi syde-

rum

rum expiraret, nitidas vestes colore peregrino tingeret. Sed hæc non referenda in naturales causas perspicuis argumentis demonstratur: nam si ex aeris infectione hæc signa emanassent, eo tempore maximè pestis vigere debuisset: at tum non oborta est, sed euoluto post biennio vt dicetur inferius; olim similia accidisse testatur Paulus Diaconus, lib. 1. cap. 4. additque *Post annum expletum cœperunt nasci in inguinibus hominum, & alijs delicatioribus locis; glandulæ in modum nucis, seu dactyli, quas mox sequebatur febris intolerabilis, æstus, ita vt triduo homo extingueretur.* Adiunxit diuina prouidentia aliud prodigium, vt nemo naturalibus causis pestem adscriberet *Nocturnis* (inquit author) *horis, personabat tuba bellantium: audiebatur à pluribus, quasi murmur exercitus; nulla erant vestigia commeantium: nullus cernebatur percussor, & tamen visus oculorum superabant cadauera mortuorum; pastoralia loca conuersa fuerant in hominum sepulturas, & habitacula humana facta fuerant habitacula bestiarum.* Temporibus pariter Constantini Copronymi lapsas cœlo cruces non fuisse naturali aeris inquinamento tribuendas, ex Theophane aliud prodigium subiungente audiamus *Venit* (inquit) *diuinitus indignatio dissipans incessanter, non solum vrbis* (nempe Constantinopolis) *ciues, sed & in omnibus suburbanis eius degentes. Factæ verò sunt, & phantasiæ in multis hominum qui in extasi facti, existimabant, se cum peregrinis quibusdam (vt puta-

tabant) & trucibus faciebus comitari, & eos qui in itinere obuij fiebant, se quasi amicos salutare, ac colloqui fingebant, notatis vero ijs quæ dicebantur ab eis, hæc postea referebant: contemplabantur autem eosdem domos ingredi, & alios quidem ex domo deferre, alios autem vulnerare contigit autem eorum quæ dicta sunt ab eis; plurima vt viderunt fieri. Fuisse has laruas Angelos malos qui Constantinopolitanos ob sacras imagines sublatas percutiebant peste, obseruat Baronius: Non fluxisse pariter cœlo cruces, Maximiliani temporibus, casu temerario edocet Picus Mirandulanus in egregio poemate, quod inscripsit Staurosticon, & ex ratione naturali confirmatur: nam mixti alieni stillæ quæ depluebant ex cœlo, in cruces temere effingi non poterant, nam cum in orbem conglobatæ, ob mutuam partium cohæsionem, & aeris resistentis vim decidant, orbicularibus notis vestes infecissent, vel si qua pars lubrico lapsu fluxisset, figuras multiformes, à circulari deficientes pinxissent: vel si qua tenui aura impulsa, in crucis formam decussata manasset, temerè, omnigenæ pariter aliæ figuræ, in vestium nitore fulsissent adde in ipsis cistis, in quibus aer libere non perflabat pictas fuisse cruces. Sed Nicolaum Baselium de hoc pestilentiæ præsagio differentem, audiamus *Anno* (inquit) *Domini MDII. magna vbique, per totam Germaniam pestilentia grassabatur, & multa millia hominum consumpsit præsignata quemadmodum multorum opinio*

nio

nio fuit, per cruces quas in lineis hominum vestibus etiam abditis, & cistis inclusis ante biennium apparuisse narrauimus: videbantur etiam nonulli, cruces habuisse in suis corporibus impressas, qui vt plurimum, eodem anno peste sunt consumpti, non fuere hæ cruces victoriæ, & triumphi indices, vt quæ olim militum Iuliani in illirico vestibus aspersæ fuerunt ex deciduo rore, sed mortis imminentis, ad quam Christiani per crucis piam meditationem, se comparaturi essent, præsagia. Conflantur aliquando pestes à magis, qui à dæmonibus instructi artibus nocendi humano generi, exquisitissima venenorum permistione, teterrimum elaborant virus, quod in particulas insensiles diuisum, præpotenti agendi vi, contigua quæque corpora inficiat. Non sunt hæc inania commenta: non enim præcipiti temporis lapsu, fugientem experientiam, sed pluribus sæculis confirmatam adducimus. testis est Iulius Capitolinus, inter sapientes non facile credulos illustris, Marci Aurelii, & Lucii Veri imperii anno octauo, horrendam pestem aurea capsula inclusam, arteque dæmonum elaboratam e templo Apollinis diflatam, vniuersum orbem immanissima contagione inquinatum depauisse: ita enim ille in Lucio Vero, ethnico more proloquitur *fuit eius fati, vt in eas prouincias, per quas rediit Romam vsque, luem secum deferre videretur. Et nata fertur pestilentia in Babylonia, vbi de templo Apollinis, ex arcula aurea quam miles forte inciderat;*

spi-

spiritus pestilens euasit, atque inde Parthos, orbemque compleuit. Suffusi tunc fuere ingenti pudore gentilitiæ superstitionis sequaces, cum beneficio æsculapii, quem pestis propulsatorem fingebant ethnici, immissam à fictitio eius patre Apolline pestem, auertere non possent, vt impius Porphyrius fateri cogitur: nec illi Galenus mederi potuit, qui fuga in patriam se proripuit, quam pestem longissimam lib. 3. de præsagitione pulsuum cap. 3. vocat. Constant eius rei exempla, apud Liuium decade 1. lib. 8. Xiphilinus quoque, & Dio Nicænus, in vita Commodi, pestem Romæ veneficio procuratam referunt, idque Casali apud Salassos, & Gebennæ, patratum scelus, Vuierus lib. 3. de veneficiis cap. 35. Antonius Portus, in elucubratione de pestilentia; Horatius Augenius lib. 1. de peste cap. 3. Hercules Saxonia lib. 3. de Plica cap. 11. illustrarunt. Nefarii etiam homines, vario scelere pestes inuexere, nam in Polonica historia legimus, apud Dlugoscum, Tartaros euulsa humana corda, saturata venenis transfixisse lignis, eaque in aquis condidisse, vt Polonos peste extinguerent: Gallici quoque annales testantur Philippi V. temporibus, leprosos, & alios mendicos inita cum Sultano Babylonio coniuratione, puteos fontesque infecisse, vt gallicam gentem peste extinguerent, pluresque in scelere comprehensos variis suppliciis excarnificatos periisse: ita Mediolani ab humani generis carnificibus, pestem effusam in populum memorat Ascanius

Cen-

Centurius de Hortensiis, prope finem lib. 5. suarum Italicarum obseruationum, & constitutionum de peste Mediolanensi, idem confirmat Antonius Maria Parolinus Medicus Ferrariensis, in commentario de peste. Affert etiam Lugdunense exemplum Droetus consil. de peste cap. 10. Patauiense Julius Alexandrinus: Badonense in agro Viennensi Schenkius lib. 6. obseru. atque interdum compertum est, vespillones quæstus spe malleolos pulsandis foribus accommodatos, & lustralem aquam in templis pestifero tabo contaminasse. Denique vt recenti exemplo confirmemus, pestem ex naturalibus causis non semper progenitam, tristem historiam plurium qui superstites sunt testimonio Pictauij confirmatam adducimus. Iuuenis profligatæ vitæ, ex eorum numero qui more gallico ex numinis contemptu magnanimitatis gloriam apud leues homines stultè aucupantur, cum ludo pecuniolas suas amisisset, in rabiem efferatus socios prouocauit ad nouum aleæ genus; vt qui cœleste numen Diuosque horrendis magis vocibus blasphemis lacesseret, is pestem lucraretur: athei ergo iuuenes qui instar canum sensibus omnia metiebantur, fœtenti ore blasphemarum vocum horridam nubem certatim effudere, inter quæ domus terræmotu concussa intremuit, dominumque hospitij excitauit, vt asperis verbis lasciuientem iuuenum petulantiam castigaret; ne hiatu terræ vniuersi haurirentur: abruptus ita est procuratus dæmonis arte ludus,

ac media nocte ludi author blasphemiæ donandus laurea, peste correptus scelestam animam efflauit, ac lues in populum grassata latè Pictauium funeribus compleuit. Plura in hoc argumento certissima exempla congeri possent, sed plures non ferunt medicum vltra sensum sapere, ac si verum aliquid ipsa argumenti necessitas expresserit, in Bizochorum fæcem veluti imbelli cerebro præditum hominem qui ad naturæ altiorem contemplationem assurgere nequeat, aculeatis, & ardentibus dicterijs immergunt. Naturales ergo pestis causas perscrutemur.

Pendent eæ ex syderum influxu, ex aeris infimi corruptione, vel intensiore qualitatum intemperie, ex humorum in humanis corporibus insigni putredine genita, ac tristi contagio in alios propagata, de quibus antequam sermonem auspicemur, obseruandum est, quod antea insinuauimus hisce causis secundis numen in inferenda ad plectenda hominum crimina peste vti: Hæc non ab Hippocrate inter sophos qui sensu reguntur eximio, sed a Mose diuinæ Sapientiæ interprete hausi: in deuteronomio enim cap. 28. dum læsæ maiestatis diuinæ reos, certorum suppliciorum formidine percellit, exclamat *Percutiat te Dominus egestate, febri, & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto & cæ* in quo oraculo animaduertendum, famis febrium, frigoris, æstus & pestilentiæ causas esse naturales: has tamen causas pro criminum humanorum ratione à diuina vi, syderum ac ele-

men-

mentorum moderatrice, temperari: nec defuere qui hac ratione fulti astrologiam iudiciariam quæ à pijs, & eruditis viris, non quæ ab Arabibus vel impostoribus alijs traditur, celebrarint: nam Petrus de Aliaco Cardinalis, & Ioannes Gersonius Parisiensis theologus Sorbonicæ academiæ nitidum olim sydus, in commentario de astrologia theologizata retulere, compositos à diuina prouidentia syderum cursus, coniunctiones, aspectus, quadratos, trinos: oppositos, declinationes, influxus, prout homines supplicia, vel beneficia commerituros præuidit: quorum sententiæ fauet Origenis interpretatio qui in illud geneseos *Sint in signa* cœlum veluti ingens volumen enarrans conditoris gloriam expansum ait, atque in hoc volumine à sapientibus plura ad humanarum rerum administrationem spectantia cognosci: indoctos vero, nil aliud, quam lucem, & tenebras discernere: non aliter, quam imperiti, in sacris libris, atros tantum, & albos colores distinguant: periti vero, diuinæ sapientiæ admiranda arcana, in atro illo, & albo colore percipiant. grauissima vero oboritur controuersia, num pestis ex syderum influxu mortalibus aliquando inferatur. Affirmatiuam partem tuentur Astrologi, atque Arabes; e quibus Auicenna in 1. parte canticor. text. 104. hæc habet *si etiam stellæ quæ dicuntur infortunatæ fuerint in exaltatione sua significabunt super corruptionem animatorum*, & lib. 4. fen. 1. tract. 4. cap. 1. idem repetit *Princi-*

pium (inquit) *omnium harum alterationum sunt formæ ex formis cœli facientes esse necessarium illud cuius aduentus ignoratur : licet sint quidam qui dixerunt in eo aliquid non proportionatum ad causam eius : imo oportet vt scias, quod causa prima longinqua ad illud, sunt figuræ cœlestes, & propinqua dispositiones terrestres*. Inter eos qui Auicennæ aduersantur primas tenet Picus Mirandulanus lib. 3. contra Astrologos cap. 21. Non inferri quidem ab astris pestem videtur, cum illa vitam potius influere censeantur à philosophis. Secundò si pestem etiam malignis influxibus funderent, vnica cœli conuersione pestem, per vniuersas terrarum oras diffunderent; at quæ pestes hactenus orbem afflixere, non simul vniuersas corripuere gentes, sed flammæ quæ pabulo viuens discurrit instar, vrbes prouincias, ac regna peragrare consueuerunt. Tertio humanum genus, maligno influxu percussum, peste vniuersum periret. quarto pestis in ipso exortu præfocaretur, nam cum assiduè aspectus ortus, & coniunctiones mutent: pro vario aspectu influxus malignos in beneficos commutarent.

Concludo pestes fundi interdum ab astris, non tanquam à totali causa, sed veluti fonte alterationum, quæ in sublunari orbe contingunt, vt enim principia sunt generationum, ita corruptionum, vt ortus rerum, ita etiam interitus: vt salubres fauonios, ita insalubres austros pariunt: nec modo serenitatem aeris adducunt, sed etiam pro-

cel-

cellas turbinesque concitant: nec modo terras amœnæ lucis spiculis feriunt, sed etiam in terræ abditis cauernis ventorum luctas commouent, qui terras concutiunt, montes conuellunt, ac latentem pestiferam auram in aerem attollunt. Sed de hac re proximo capite fusius dicetur; nunc istud argumenrum æqua lance librari velim. Pestilentiæ tempore, omnes morbos in pestem degenerare, multis sæculis confirmata experientia compertum est: atqui sporades morbi desciscere in pestem nequeunt, cum pueri, iuuenes, senes, fœminæ, ac masculi eam contrahunt, nisi pestifera qualitas, temperamento, ætate, sexu, discrepantes affecerit: alioquin sporades morbos vigere pestilentiæ tempore necesse foret: cum pro varia cuiusque diathesi, ac humorum discrepante intemperie, varij morbi exoriantur. Confirmatur ex euentibus, historiarum monumentis consignatis, nam Paulus Diaconus lib. 6. cap. 5. hæc contigisse refert anno sexcentesimo octuagesimo Imperatoris Constantini Pogonati, & Agathonis Pontificis temporibus *Per indictionem octauam Luna eclypsim, passa est, solis quoque eclypsis, eodem pene tempore hora diei quasi decima, quinto nonas maias effecta est, moxque sequuta est grauissima pestis tribus mensibus* hoc est, iulio, augusto, & septembri. Tertio non alia causa sæpe se prodit, in quam pestis calamitas refundenda sit: nam expirationes venenatæ nullæ deprehensæ, ignita meteora nulla fulsere: non siccitate intemperatus

aer

aer incanduit: non austrinis pluuijs putredinem concepit: non victus ratio incommoda fuit: non mali semina aliunde inuecta; & tamen pestis sæuiet: ergo tunc pestis causa maligno syderum aspectui ascribenda erit, obseruaruntque ex varijs syderum conuersionibus astrologi, ex saturni in signis Arietis Capricorni, & Sagittarij triplicitate ignea, pestem septentrionalibus regionibus illatam fuisse.

Probatur oculata experientia: vidi ego funestis temporibus quibus pestis in Gallia grassata est, affulgente corniculata Luna, aut orbem suum complente, pestem magis inardescere, non aliter quam maris æstus tum vehementiores commoueri consueuerunt ergo ille effectus, tam miro ordine consequens, cœlesti influxui adscribi debet, non aliter quam accessus, & recessus maris, ad influxus Lunæ viri sapientes retulerunt: si veterum denique responsa consulamus: morbos ex ortu & occasu syderum prænoscendos, admonet Hippocrates lib. 1. de ratione victus sectione quarta. *Syderum* (inquit) *ortus, & occasus noscendi sunt, vt mutationes, & ciborum, ac potionum redundantias, ventorumque, & totius mundi, ex quibus sanè morbi hominibus proueniunt, obseruare sciat.* Si ergo ex Hippocrate morbos pariunt ortus, & occasus syderum, non quidem per se, sed per accidens, nulla ratio est cur pestilens morbus à reliquis morbis, quorum tristi satellitio stipata est humana vita, excludatur: idem

Hip-

Hippocrates, duce sensu, teste experientia, consentiente ratione, in libro de aere aquis, & locis ita eloquitur. *Maximi* (inquit) *periculi plena sunt ambo solstitia, præcipueque æstiuum: periculosissima etiam ambo æquinoctia existimantur, maximè vero autumnale; syderum quoque ortus obseruandi, præcipueque caniculæ, deinde arcturi, & Virgiliarum occasus. His enim potissimum diebus morbi iudicationem subeunt, & alij quidem perimunt, alij vero desinũt, alijque omnes in aliam formam transeunt* Hactenus Hippocrates, ex cuius verbis perspicuè efflorescit ex astrorum conuersione, aspectu, coniunctione, declinatione, ortu, occasu ac vario ex his influxu, morbos creari vel profligari vel commutari, cum ergo obseruatum sit peste furente omnes morbos in pestem deficere, ac pro tempestatum ratione syderum ortu vel occasu pestem incandescere aut deflagrare compertum sit: syderum sublunares causas agitantium influxu pestem procreari, atque efferuescere sapientum consensu & fide confirmatum est, iam contraria argumenta diluamus.

Respondeo ad primum, visa quidem in sublunaria sensitiua influere sydera, sed vitalis illius influxus quæque subiecta non esse capacia, adeo vt secundum varias corporum diatheses, subsidia vitæ, in mortis instrumenta vertantur: id mille exemplis patet, reficiunt alios rosæ, nonullis tamen mulieribus hystericos affectus crudelissimos inferunt, vinum lac senum est, venenum ta-

men puerorum: theriaca pestis præsidium est, à tenellis tamen epota largius tabem inducet, ac naturæ, & ætates, ad tempora benè, vel malè, vt ait Hippocrates se habent, ac senes æstate vires acquirunt, cum vires iuuenum flaccescere videantur. Denique experientia longa, & ratione confirmata est, hæc Galeni sententia lib. 2. de differentijs febr. cap. 4. *magnam in generatione ægritudinum partem habet eius, qui passurus est corporis habilitas.*

Ad secundum respondeo, etsi pestis ab astris diffundatur, non tamen vnica astrorum conuersione, vniuersas gentes peste correptum iri, cum æquali temperie non sint affectæ: nam licet æquali modo, lux per singulos vnius climatis gradus fundatur, non tamen pestes, vel alij morbi, qui ex syderibus pendent, homines singulos in eo climate constitutos afficient: cum ij influxus natura sua non sint venenati, licet in male affectis corporibus, venena gignant: eodem enim influxu, in aspidis cauda, in viperarum trisulcis linguis, in draconum felle, in tarantularnm ore venena: ac principia vitæ in fœtu, in conchis gemmæ, in terræ visceribus aurum, in mari ambara gignuntur, ita eodem lunari influxu, crises infœlices, ac fœlices prodeunt; eodem crescunt maria, ac decrescunt, eodem effœta exarescere, & alia repubescere, ac lasciuire experimur.

Ad tertium respondeo periturum tunc humanum

num genus, ex maligno ſyderum influxu, ſi malignam vim naturæ inſitam: non per ſubiecti excipientis imbecillitatem, damno deficientis naturæ imprimerent: peruulgatum enim axioma eſt *quidquid recipitur per modum recipientis recipitur*: Infuſa quadrato vaſi aqua efficitur quadrata, trigono trigona, exagono exagona: ita de cæteris quiſque facile percipit, aſtrorum influxus à rerum conditore adeo admirabili arte temperatos, in ſublunaria fundi, vt inde vitæ principia fluant ex his, e quibus, in alijs mortis ſemina ſparſa fuerunt.

Ad quartum reſpondeo non vnico ſyderum aſpectu, vel cœli ſynthemate exoriri peſtem, ſed ſublunaria ad eam concipiendam fuiſſe ante comparata: itaque mutato aſpectu, infuſa maligna vis ſubiectis ſublunaribus, non facile exoleſcit, nec enim excitatus ſemel ignis extinguitur, niſi contrariæ cauſæ vehementiores, ad illum extinguendum concurrerint.

Concluſio 2. Proxima peſtis cauſa aer eſt. Probatur ex Hippocrate, libro de flatibus. *Mortalibus* (inquit) *hic tum vitæ, tum morborum ægrotis cauſa eſt*: Confirmatur ex Galeno, in commentario in lib. 1. epidemiorũ. *cum alicuius morbi epidemia graſſata fuerit, perſpicuum eſt vel victum vel aerem quem inſpiramus, cauſam eſſe, ſi morboſam excretionem habeat* quam Galenus anathymiaſim id eſt expirationem interpretatur: an ſecundum ſubſtantiam corrumpatur, an dumtaxat ſecun-

dum qualitates, vel vnam, vel duas, an secundum partes aliquas, per vaporis venenati permixtionem disceptatur.

Concludo corrumpi non posse secundum substantiam, nisi ex diuinitatis decreto; cum vniuerso orbi extrema pernicies inferetur, & mortuis classicum archangelus canet. Probatur ex summa aeris necessitate, cuius corruptionem animantia ferre nequeant. Hippocrate teste in libro, ita enim pronunciat text. 50. *Tanta (inquit) corporibus omnibus spiritus inest necessitas, vt si quidem alijs omnibus, & cibis, & potionibus quis abstineat, duos tamen, & tres vel plures dies, possit vitam ducere. At si quis spiritus in corporis vias intercipiat vel exigua diei parte, hominem pereundum sit: adeo necessarius est vsus spiritus in corpore.* Si tanta ergo ducendæ e cœlo animæ, vel inspirandi aeris necessitas est, corrumpi secundum substantiam non potest nisi vniuersi intereant, cum ex corrupto aere, vitales, & animales spiritus sustentando animanti; & functionibus sensitiuis exercendis idonei confici nequeant. Assentiuntur huic sententiæ Galenus, Aetius, Rhases, Halyabbas, Auicenna, Auerroes, Ioannes Damascenus, Conciliator, Fracastorius, Franciscus Valesius, Ludouicus Mercatus, Sennertus, Merindolus, Heurnius, Platerus & alij quorum inconditis nominibus explendæ chartæ non sunt. Expendamus itaque an aer secundum qualitates, an secundum peregrinæ substantiæ suffusionem

nem inquinetur, & concludimus vtroque modo contaminari ex medica Isagoge. *Pestilentia est morbus qui in omnes aut plurimos grassatur ab aeris corruptione proueniens quo fit, vt quam plurimi intereant.*

Concipit scilicet aer, aduersam hominum valetudini intemperiem, ex intensiore qualitate, sicci, & calidi, vel humidi, & calidi, frigus vero, nisi quatenus pestis semina constringit in corporibus ne diflentur, pestem non patit. num vero præter has quatuor, primarias, & manifestas qualitates, aliquæ occultæ admittendæ sint grauis est inter medicos controuersia, & in eorum sententiam qui occultas qualitates profitentur, concedimus; quantumuis ab imperitis imperitiæ conuicio perstringamur, in latibula enim ignorantiæ, in asylum stultitiæ, confugere nos obganniunt, qui calidi, & frigidi, humidi, & sicci circino, omnia dimetiuntur.

De peste à calida, & sicca aeris intemperie progenita: insigne est apud Theucididem exemplum: nam cum incanduisset insolitis ardoribus aer, in Græcia; qui in humilibus tuguriis pro more eius ætatis agebant; peste correpti sunt, qua ne potestate mentis deturbati in aquas vltro se coniiciebant præcipites; tantus ardor vrebat præcordia, & imaginatricem facultatem perturbabat; pars feruente veneno, atque in externas partes protumpente, anthracibus quos sanguis, retorridus gignebat: suffusa apparuit, tum Galeni

temporibus, cum pestilentia non absimilis illi quæ Theucidydis temporibus, ex calidiore, & sicciore intemperie aeris exarsit. Licet vero sicca tempora humidis salubriora sint ex aphor. 25. section. 3. tamen morbi siccis temporibus geniti, acutissimi sunt: vt Galenus in commentat. aphor. 16. sect. obseruat, vnde pestis, quæ ex sicciore & calidiore aeris intemperie ebullit, symptomatum ferocia teterrima est, facileque inducit amentiam: siccitas ex Hippocrate,& Galeno in aph. 18. sect. 7. vigilias, desipientiam, & conuulsionem parit. Inquiret quispiam, qua tandem ratione, pestis ex sicciori intemperie oboriri possit: cum ignis qui siccitatem caliditatemq; in summo gradu possidet, pestiferum aerem expurget, adeo vt etiam media æstate crebros ignes ad propulsandam pestem, Honorius IV. Sabellæ gentis gloria,dum Cardinalitios gereret honores, accendi in ædibus iusserit vt vitæ illius scriptor, in annalibus tradit. Respondeo gigni ex siccitate, non aliter quam alios morbos acutos. nam siccitas vt obseruat Galenus bilem gignit, cum itaque humiditatibus non careant humana corpora: haud mirum est, si ex nimio calore efferuescant. quare carbunculos ex bile atra adusta enasci, Galenus lib. 1. de differentijs febrium cap. 4. obseruat, confirmatque in comm. 3. in lib. 3. epidem. *Carbunculus* (inquit) *ex calido quidem feruore, materia vero consistentia crassa originem habet* confirmatur ex tempestatis statu: nam Hippocrates lib. 3. epidem. statum pestilentialem

de-

describens addit *carbunculi per æstatem multi* Denique si quis Hippocratem & Galenum, non audiat experientiæ saltem pareat, nam venerabilis Beda testatur Ecfridi Angliæ Regis temporibus, post triennalem siccitatem, sæuam pestem Angliam depauisse.

Oriri alias ex intemperie calida, & humida aeris consentiunt Hippocrates, & Galenus: quorum postremus in lib. 3. de temperamentis hæc pronuntiat *Vno tantum e quatuor temporibus mutato malum fuit, quod si duo triaue sint mutata; aut etiam totus annus calidus humidusque fuerit, necesse est magna pestilentia succedat cuiusmodi in tertio epidemiorum narrat* perspicua ratio est, quod nimirum calida, & humida aeris intemperies, ad gignendam putredinem sit paratissima, pestis vero ex putredine insigni plerumque oriatur. confirmatur ex definitione putredinis ab Aristotele lib. 4. meteoron. cap. 1. *Putredo est interitus proprij ac naturalis caloris, in quouis humore ab alieno profiscifcens calore, hic autem rei continentis est*

Idem Aristoteles explicat eodem capite, vt omnia putredine intereant, ex feruore calidi in humido; ac propterea quæ computruere sicca remaneant, & vertantur in fimum, vbi calidum omne, & humidum auolarit: atque aer terra, & aqua putredinem concipere possint, nullam vero ignis concipiat, quod nempe omnis humiditatis sit expers, tum insignem hanc sententiam pronuntiat. *propterea quæ putrescunt, primum hu-*

mi-

mida, dein sicca fiunt. Hinc putredinis causæ quoad temperamentum attinet duæ sunt: calor vt agens, humiditas vt patiens: inde humida æstas, & à ventis silens (nam ventorum flatus putredinem inhibent) pestem facile parit, quod obseruauit Hippocrates. *Erant* inquit *in Cranone carbunculi æstiui, pluerat per æstum largo imbri, idque assiduè: acciderant autem magis austro*: Ita ab humenti, & calido aere, humefacta, & calefacta corpora, facile putredinem contraxere: nam vbi morbus communis est, à communi causa fluxisse nimirum aere putandus est, vt egregiè disserunt, quicumque in Hippocratem commentarios ediderunt: at inquiret quispiam: vnde tandem aliquæ æstates, ita pestiferæ fiunt, silentibus ventis: ardente, & humenti aere: aliæ vero salubres sint. Respondeo quantumuis temerè pluuiæ cadere, sine ordine spirare venti, sine lege volitare procellæ videantur: tamen hæc prouidentia admirabili, ordine inconcusso, lege stabili currunt: vt enim horariæ machinæ orbes, non temere voluuntur, sed prudenti artificis omnes conuersiones præuidenti consilio temperantur: ita omnes astrorum cursus, effectus omnes qui in sublunaribus contingunt, parituros, composuit diuina mens, vt diuina lege æstus, imbres, venti, frigora nubes excitentur: quos quidem sublunares effectus, vt pote ab astrorum aspectu coniunctioneque pendentes, præuideremus, ipsi si perfectam astrorum peritiam comparassemus:

ſed cum annis ſingulis aſtrorum aſpectus varientur, inde tempeſtatum varietates ſuccedunt, vt ſi annum cum anno contulerimus, maxima diſcrimina meteororum, quæ in aere accidunt intueamur: nec humana peritia hæc omnia conſequi poteſt. Licet ſolertia ſagaci, nonnulla interdum colligat, ob imperfectam vero omnium cauſarum cognitionem, falli ſæpius neceſſe eſt, vt aculeato hoc dicto à Marſilio Ficino lib. 4. cap. 36. perſtringantur, *quantum aſtronomi metiuntur tantum aſtrologi mentiuntur*. Nunc expendendum eſt; num præter intemperiem calidioris ſicciorisque, vel humidioris aeris, ſit qualitas occulta maligna aeri impreſſa, quæ peſtem creet. negant ij qui huiuſmodi qualitates occultas, quas ſenſus non percipit, vt commentitias diflant, his argumentis. Primo non ſunt, inquiunt, multiplicanda entia ſine neceſſitate; Secundo par eſt ratio ſalubritatis, & inſalubritatis, ſed ſalubritas, aeris, non in ſimplici qualitate, ſed qualitatum concentu naturæ noſtræ conuenienti, ſiue temperie conſtat; ergo inſalubritas non in qualitate deleteria ſimplici, ſed intemperie, & qualitatum intenſione naturæ noſtræ contraria conſiſtet. Tertio. Si aliqua deleteria qualitas, imprimeretur aeri cum peſtis viget, cum ea ſit omnino humanæ naturæ infenſa, humanum genus extingueret, ac inſtar flammæ, quæ alimento creſcit omnia deuaſtaret: Quartò quid occultam qualitatem fingere opus eſt, cum manifeſtus

stus fœtor summam putredinem, in peste correpto significet: idque etiam vulgo exploratum sit, vt Galenus lib. 3. de præsagitione ex pulsibus cap. 4. fatetur *Vulgus* (inquit) *fere si nihil aliud, at expirationem ægrotorum videas obseruare: quæ si fœteat, peiorem casum expectant. At illi quidem vsu, tale signum in pestilentibus febribus inuenerunt, tu non vsu modo, sed & ratione æstima; iam os etiam attendunt: quod si illic aliquid coloris pestilentis cernant, eos peste confirmant laborare.*

Concludo in partem contrariam, deleteriam nimirum qualitatem occultam, infusam pestilétiæ epidemicæ tempore aeri, quo hausto contrahitur pestis *Cõmunes morbi* inquit Franciscus Valesius, *in lib. 2. epidem sect. 2. text. 1. necessario habent causam in aeris infectione, quia sola ea est omnibus hominibus communis causa, contagiosi autem non possunt esse; nisi ob putredinem, neque admodum mortiferi, nisi ob malignam, pestes ergo semper habent causam, in maligna putrescentia aeris.* Hoc porrò malignę putredinis, quę humana corpora in exitij pręcipitia rapit principium, occultam qualitatem esse asserimus, quare Galenus lib. 3. de præsagitione ex pulsibus cap. 4. profitetur, sæuiente peste, medicos vidisse in ea dignoscenda nihilo plebe præstantiores: cur enim plures medici perire solent, eum primum exarsit, nisi quia sensum deleteria illa qualitas fugit, vt enim occulta qualitate plura mixta, quæ humanum corpus vehementer afficiunt, pollere certum est; ita pestilens aer occulta qua-

qualitate afficere homines consueuit: propterea Ludouicus Mercatus quæst. 22. art. 6. de elementis qualitates distinguit in sensibiles, & insensibiles ac de ijs, quæ sensum humanum latent; addit. *Insensibiles sunt, quæ per se non possunt immediatè mouere sensum, vt virtutes, lapidum, herbarum quæ tantum sentiuntur in suis effectibus, non in se: quemadmodum vis magnetis elucescit in ferri tractione, & herbarum, aut lapidum in sanitate inducenda, quas tertias qualitates, seu rerum proprietates occultas appellamus.* Vt ergo in his, occultas proprietates fatebuntur prudentes; ita ex aduerso, cum ex Hippocrate & Philosopho contrariorum contraria sit ratio, in aere pestilente occulta qualitas, humano corpori insensissima, quæ sensus nostros effugit agnoscenda est. At mox imperitiæ laqueos parant aduersarij, conscinduntque nos conuicio, quod more academicorum hoc scire profiteamur, quod non sciamus, quibus Iulium Cæsarem Scaligerum exercitatione 218. de subtilitate ad Cardanum cap. 8. oppono ita perorantem. *Ad manifestas omnia deducere qualitates, summa impudentia est. id quod Alexandræi multi, & frustra conati sunt, & temere instituerunt: at saltem in veneni exemplo nostro decuit conquiescere. eorum namque multa diuersas habent, ab elementorum qualitatibus proprietates, quæ omnino latent animos temperatos, illudunt curiosis.* Instituerat Scaliger sermonem, de echeneide, quam principium quietis, motui contrarium à natura inditum possi-

dere admiratur: hanc autem facultatem occultam esse, & impresso impetui, cum saxum iacimus, aduersam fatendum est; sed quisquam obijciet impetum impressum, non esse qualitatem, sed saxum proiectum, à proijciente in eam partem determinari: verum hæc argutiola facile eluitur, obiectione e sono petita, quem quidem esse qualitatem e motu profectam, nec tantum commotum aerem, pisces muti loquuntur, cum audito sono etsi sub aquis lateant, vt aer ad eos non penetret, repente diffugiunt, De echeneide vero occulta adeo facultate pollente, vt stuporem omnium sæculorum eruditis viris incusserit, hæc refert Plinius lib. 32. hist. naturalis cap. 1. *Ruant venti licet & sæuiant procellæ: imperat furori, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia quod non vincula vlla, non anchoræ pondere irreuocabili iacta infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quam adherendo. Hæc tantilla est satis contra tot impetus, vt vetet ire nauigia, sed armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, vt in mari quoque pugnetur velute muris; hec vanitas humana? cum rostra illa aere ferroque ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Fertur actiaco marte tenuisse pretoriam nauem, Antonij properantis circumire, & exhortari suos donec transiret in aliam? ideoque Cæsariana classis impetu maiore protinus venit. Tenuit, & nostra memoria. Caij principis ab*

Astu-

Asture Antium remigantis, vt res est etiam auspicalis pisciculus. Siquidem nouissimè tum in vrbem reuersus ille Imperator, suis telis confossus est, nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cum a tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim, inuenere adhærentem gubernaculo ostenderuntque Caio, indignanti, hoc fuisse quod se reuocaret quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet: constabat peculiariter miratum quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus. Hactenus Plinius, qui etiam torpedinis marinæ exemplum insigne affert, quæ etiam procul, vel si hasta virgaue attingatur, quantumuis præualidos lacertos torpore afficit; quantumlibet ad cursum veloces pedes alligat: Si effectus admirabilis causa inquiritur, ea vel in occultam qualitatem, vel in tenuem auram ab ea effusam, eadem qualitate præditam refundenda est; nunc contraria argumenta diluamus.

Respondeo ad primum: Si per vetus, & tritum adagium, non esse multiplicanda entia, sine necessitate: intelligant aduersarij, non alia quam quæ sensu comprehenduntur asserenda, jam illas ineptias ab ipsis gentilibus disflatas, veluti ab ipso Cicerone, qui aduersus ethnica superstitione inuolutos, pluribus exemplis illustrat in libris de natura Deorũ plura esse vera, quæ à homine capi sensu possint, ita si consulimus oculos sol pedalis magnitudinis est; ratio tamen ex lunæ illustra-

tione solem terra maiorem illustrat. Si tactui credideris, terra in æquatam fermè planitiem, modo in colles exiguos assurgentem, modo depressam aliquantulum in valles exporrigitur; sed ratio ex poli altitudine, pro climatum, ratione variata, rotundam esse: aliquantulum tamen montibus asperatam demonstrat. His ita illustratis, concludo non omnes formas accidentales à numine conditas per se deprehendi sensu, sed per accidens ex effectibus: quis enim succino trahenti paleas, magneti rapienti ferrum, ferro magnete contacto ad polum se conuertenti, echeneidi sistenti naues, torpedini obtundenti motricem facultatem; qualitatem occultam sensui, sed manifestam menti inesse non fateatur: nisi inter imperitos professus nomen, imperitiæ scommate, iustos rerum æstimatores percellat: idem statuimus de pestilenti aere qui nullo sensu deprehensus à viris prudentibus, occultæ qualitatis gladio eos iugulat; tam malignos ergo effectus: cum in aliquam causam deriuandi sint, qualitati sensum fallenti iure ascribimus, ac sentimus posse à rerum conditore plures sensus condi, quorum beneficio plures formas accidentales nobis incognitas, tum plures substantiales perciperemus: sed diuina prouidentia, imbecillitatem naturæ humanæ arctioribus terminis, prout ipsi visum est, circumscripsit. Latus hic campus est, in quo excurrere posset oratio, sed frena exultanti facundiæ contrahenda sunt.

Ad

Ad secundam obiectionem respondeo, parem esse quidem salubritatis, & insalubritatis rationem, & temperie aerem salubrem, intemperie insalubrem, sine alia qualitate adiecta fieri in pluribus morbis, qui ex aeris vitio exoriuntur, nec pestem creant: in tanta vero intemperie, quæ pestem diffundat, agnoscendam occultam qualitatem deleteriam, quæ sensum tenuitate fugiat, acutie perimat, actiuæ facultatis robore circumstantia corpora inficiat: Ad tertium argumentum respondeo, ex strage hominum rectè argui, occulta pestilentis qualitatis semina aeri impressa, non tamen omnes peste corripi, cum, vt Galenus differit non tantum agentis vis, sed etiam resistentis perpendenda sit: plura enim agunt, prout patiens comparatum est: ita concauum speculum colligens solares radios flammas euomit, cum aliqua obiecta propiora soli rigere possint, nec longa excursione ad hoc probandum opus est, cum innumeros effectus inter se contrarios, in his sublunaribus possimus recensere, qui tamen omnes à cœlesti causa, pro varia subiectorum diathesi vim suam influente pendeant: Ad quartum respondeo, fœtorem quidem excellentis putredinis esse indicem, quod Galenus confirmat lib. 8. secundum locos, vbi ait: *calida intemperie circa viscus existente, colliquationes fiunt primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis, & educatur per ventrem bilis crassa grauuolens, & abundè colorata, quemadmodum in pestilentibus febribus*

contingit: At inter fœtores distinguendum est alios malignos, alios benignos, quin etiam inter odores suauissimos, inuenit nefanda veneficorum ars aliquos, qui suaui carnificina floribus ipsis aspersa perimant: vidimus ipsi peste correptos qui nullum fœtorem eflarent, alios salubribus morbis laborantes, qui teterrimam mephitim subolerent: hoc vero discrimen arguit, præter fœtorem putredinis comitem, adiungi malignam qualitatem. Cæterum Galeno assentimur dum in commentario aphor. 66. sect. 7. edocet, fœtidas deiectiones si fuerint symptomaticæ, perniciem portendere; si vero criticæ: vt in aphor. 47. sect. 4. animaduertit salutem præsagire. At de vomitionibus alia ratio ineunda est nam fœtens vomitio, tum alias, tum maximè in peste, malignam semper qualitatem, & prauam diathesim partium, quæ in ventriculum influunt arguit vti Hippocrates in libro de præsagijs confirmat: *putres omnes, & fœtidi odores in omnibus vomentibus mali sunt*; quod Hippocratis oraculum, Galenus in vltimo textu libri secundi epidemiorum illustrat, ac fœtorem vomitus, inter symptomatum magnitudinem recenset. Hactenus de occulta qualitate venefica modo fœtori coniuncta modo ab ea segregata, de qua Marsilius Ficinus in epidemiarum antidoto cap. 1. hæc habet. *Pestis vapor venenosus, ei corpori humano solùm applicatur, in quo apti ad febres extant humores, vt qui ad putredinem, & inflammationem*

sunt

sunt dispositi, nam si vitalis spiritus eo est potentior, expellit procul a se: si debilior, fugit eundem. suum velut contrarium opus; ideo est ex vsu, aerem humores, & cor corrigere purgare & roborare. At quia interdum aer, neque intemperie qualitatum, neque venefica qualitate a syderum aspectu maligno effluente sed alienæ substantiæ fœda permixtione inquinatur: de hac nunc sermo instituendus est.

Vt aer venefica expiratione contaminatus pestem inferat.

CAP. III.

AEr quem e sublimi trahimus, adeo impurum censet Ludouicus Mercatus, vt ferè ad mixti naturam accedat, nec enim purum pati nos posse experiuntur, qui Pyræneorum montium fastigia despectantia ex alto subiectas nubes conscenderunt: dissipat scilicet nimium spiritus, atque adeo ex insensili defluuio corporeæ substantiæ, improba fames colligi consueuit, qui purum eccontra pertinax contenderit: ille pulvereas atomos aere volitantes inspiciat, cum radius tenui spiculo cubiculum obscurum lustrarit: perpendat idem meteora & ter-

ræ cœlique commercia audiat ex Plinio lib. 2. naturalis historiæ cap. 38. *Tot animalium haustus, spiritum e sublimi trahit, at ille contra nititur, tellusque vt inani cœlo spiritum infundit; sic vltro citroque commeante natura, vt tormento aliquo, mundi celeritate discordia accenditur, nec stare pugnæ licet, sed assiduè rapta conuoluitur, & circa terram immenso rerum quasi globo tendit, subinde per nubes cælum aliud obtexens.* Hic animaduertendum halitus terrarum, alios benignos, alios mediocriter insalubres, alios pestiferos ac veneficos esse, confirmatur postrema pars certa experientia, cum post magnos terrarum motus, inquinato terrena contagione aere magnæ sæpius pestilentiæ fuerint concitatæ *nec id mirum est* (inquit) Seneca lib. 6. naturalium quæstionum cap. 28. *multa enim mortifera in alto latent, at aer ipse, qui vel terrarum culpa, vel pigritia, & æterna nocte torpescit, grauis haurientibus est, vel corruptus internorum ignium vitio: cum est longo situ emissus, purum hunc liquidumque maculat, ac polluit, insuetumque ducentibus spiritum affert noua genera morborum.* Inquinari etiam interdum aquas, ac vapore venefico infici aerem, interdum etiam aerem in terrarum cauernis contaminatum, astrorum influxu sursum euehi, eleganter idem Seneca explicat *quid quod* (inquit) *aquæ inutiles pestilentesque in abdito latent, vt quas numquam vsus exerceat, numquam aura liberior verberet; crassæ itaque &*

graui caligine sempiternaque tectæ, nihil nisi pestiferum in se, & corporibus nostris contrarium habent: aer quoque qui admixtus est illis, quique inter illas paludes iacet, cum emersit latè vitium suum spargit, & haurientes necat. Obseruatum est nonnunquam, antequam homines pestis corriperet, maximam pecorum stragem edidisse, cur vero ea facilius lue intereant, rationem addit Seneca: quod nimirum propiora terris ferant capita, & afflatum diri aeris circa ipsam hnmum excipiant, qui etiam hominibus nociturus esset, si maior exiret: sed ab aeris synceri copia extinguitur antequam assurgeret, vt ab homine posset trahi: Si ergo maior copia efflati à tellure aeris, aerem, quo viuimus inquinarit, tunc homines diro afflatu pestem contrahere posse efflorescit: tunc vero facilius peste tentantur, qui vtuntur tantum aquis, nam eas quoque, non aliter, ac aerem inquinari posse certum est, quare Seneca maximam in aquis pestilentiæ culpam agnoscit.

Obijciet quispiam feriri quidem astrorum radijs solum, atque omnia vegetabilia ab eorum influxu vim suam excipere, fingi vero à nobis ab imo diros halitus trahi, crassitiem enim terræ obstare ne ad nos efferantur.

Respondeo: licet lux, opaca non penetret, calorem tamen, & alios tacitos influxus imas abyssos peruadere, vt egregie Asclepius lib. 1. ad Ammonem edisserit *solis syderumque bonæ impressiones, non solum cælum, & aerem, sed profundissimas*

mas etiam terræ cauernas, imasque abyssos penetrant. At inquies Asclepium nobis aduersari, qui malignas syderum irradiationes, interdum aeri imprimi inter pestis causas professi fuerimus: nunc etiam influxus, commouentes pestiferos halitus in ima telluris abysso latentes, atque ad superiora cum maxima animantium internecione euocantes astruamus. Respondeo cum Augustino, nil in se malum esse, quamuis alteri sit malum, quis ensem malum dixerit quamuis vltrice, & iusta manu hominem transuerberet; non tantum in vrbe excitantur amphitheatra, sed etiam catastæ: non tantum eriguntur trophæa, sed etiam figuntur furcæ: non tantum torques, & monilia, sed etiam vincula conflantur: ita in orbe ad illius pulchritudinem ordinemque admirandum, & malignæ irradiationes syderum, teterrimi terrarum, vel aquarum halitus: & pestes, & venena spectant: etsi enim pestifer halitus impios conficiat, vt diuinæ iustitiæ gladius, pios tamen ad coronas immortales exercebit: quod vero imis telluris cauernis, seu carceribus constrictæ pestes lateant, ac veluti carnifices, ad nutum cœlestis Imperatoris, medio syderum influxu educantur, illustrabimus ex Seneca, qui pestiferos halitus exemplis insignibus e terra euomi confirmat. cap. 28. naturalium quæstionum *Multa inquit terras habere mortifera, vel ex hoc intellige, quod tot venena nascuntur, non manu sparsa, sed sponte: solo scilicet habente, vt boni ita mali semina,*

quod

quod pluribus Italiæ locis, per quædam foramina, pestilens exhalatur vapor quem non homini ducere, non feræ tutum est; aues quoque si in illum inciderint, antequam cælo meliore leniatur in ipso volatu cadunt, liuentque corpora: & non aliter, quam per vim elisæ fauces tument, Hic spiritus quandiu terris continetur, tenui foramine fluens, non plus potentiæ habet, quam vt despectantia, & vltro sibi illata conficiat: vbi per sæcula conditis tenebris, ac tristitia loci creuit in vitium, ipsa ingrauescit mora: hoc peior quo segnior. Cum autem exitum nactum est æternum illud vmbrosi frigoris malum, & infernam noctem soluit, ac regionis nostræ aera infuscat: vincuntur enim meliora peioribus, tunc etiam ille spiritus purior transit in noxium; inde subitæ continuæque mortes, & monstrosa genera morborum, vt ex nouis orta causis, breuis aut longa clades est: prout vitia valuere; Nec prius pestilentia desinit, quam spiritum illum grauem exercicit laxitas cæli, ventorumque iactatio, quod vero terrei huiusmodi spiritus venefici syderum impressione ab imis cauernis euocari possint ex terræmotibus constat, vnde pestem terræmotus interdum consequi ostensum est: tonitruis etiam terrestribus confirmatur: quæ puto, & sereno cœlo, omnes stupore percellunt, cum plurimus, & confertus spiritus ab astris euocatus, per angustos ductus summo impetu findit aerem, atque ad liberiora spatia erumpit: ex sæuissimis denique procellis cum ab ima tellure euocati halitus

terrestres, ab imo commouent maria, ac diductis fluctibus, turbinis instar etiam aquas vertendas in imbres in cœlum euehunt, efflorescit.

Reuocantur ad hæc graues expirationes e palustribus, & lacustribus locis, ex cadauerum insepultorum putrida aura, veluti Dionysius patriarcha Alexandrinus in epistola ad Hieracem Ægiptium Episcopum describit, apud Eusebium lib. 7. cap. 16. *tam letales* (inquit) *e terra vapores in sublime tolluntur, tam pestiferi e mari cientur venti, tam tabidæ ex fluminibus adspirationes efflantur; tam insalubres ex portubus nebulæ erumpunt vti ros qui vndique diffunditur nihil aliud sit quam sanies cadauerum sub dio putrescentium, quæ quidem, elementa, ex quibus fuerunt generata tetro odore inficiunt*: ita apud Petrochoros contigit, cum in puteum abiecta fuissent plura cadauera, putridus spiritus ab his difflatus regionem omnem sæuissima peste infecit: ita cum Huniades ad Belgradum, profligato Mahomete II, maximam Turcarum stragem edidisset, nec corpora, qua par erat celeritate, mandata terræ fuissent, vt Bonfinius, & Thurosius in Vngarica historia referunt: horrida lues, qua etiam ille Christiani imperij celeberrimus propugnator extinctus est, Belgradenses inuasit; ita locustarum insepultarum tabo inquinatum aerem, sæuissimam pestem excitasse; exploratum est conspicuis exemplis: memorat enim D. Augustinus lib. 3 de ciuitate Dei cap. 31. in Africa exinde luem atrocissimam incanduisse,

quæ in Maſſaniſſæ regno octingenta hominum millia, & viginti millia Vticæ abſumpſerit; Ita Egmondanos, vt refert Ioannes Heurnius peſtis infecit, cum ingens, & vaſtum cete mare in littus proieciſſet, ac diffluens tabo, tetra expiratione inquinaſſet aerem; ita Gregorij IX. temporibus lues ſæua Romam corripuit, cum Tyberis eluuio magnam ſerpentium multitudinem in cellis vinarijs reliquiſſet, vt anonymus vitæ Gregorij ſcripto enarrat his verbis *ſerpentium magnarum congeriem intra vrbis mœnia inundatio diminuta reliquit, vt eorum putredine moleſta lues, & in iumenta, & homines deſæuiens, magna ipſorum cum morte, tum infirmitate damna inferret: qui diuinæ vltionis iudicium, de offenſa matris eccleſiæ venire cognoſcentes cancellarium, & Pandulphum de ſuburra tanquam proconſules, & legatos, apud Peruſium ad pedes ſummi Pontificis pro impetranda venia, & eodem ad Vrbem reducendo Pontifice, cum honorificentia debita deſtinarunt*. Potuere ij ſerpentes non tantum fluminis alueo inuehi ex inundatis agris, verum in ipſis cellis vinarijs progigni, cum magiſtratuum inertia coercito iam ripis flumine, exhauſtæ aquæ ſyphonum opera non fuiſſent: nam & in ipſis nauibus nautarum ſentinam non haurientium negligentia, nautas peſte corripi, ob graueolentem auram inde ſpirantem aliquando compertum eſt: quod vero eluuiones fluminum, peſtisque aliquando excipiat, Anaſtaſius in vita Benedicti III. Pontificis enarrat, eademque ratio il-

lustrat, quæ lacustria, & palustria loca obnoxia pestilentiæ demonstrat: vti vero cinctæ paludibus, & lacubus vrbes, non semper peste laborant, sed ea frequentius longe, quam montanæ affligi consueuerunt: Ita post singulas eluuiones fluminum, non ingrauescit pestilentia, cum æthereus calor, qui putredinem gignat in humido exigatur, quamquam etiam magistratuum diligentia, tuendæ publicæ valetudini multum conferat: nostrisque temporibus Roma graui pestis periculo ob paternum Pontificum in Romanum populum amorem vindicata est, cum post eluuiones tyberinas, expurgari ædes quas fluuiatiles aquæ oppleuerant imperassent: eo referendæ sunt congestæ sordes, quæ diuturno situ contractam mephitim putridam in aerem vomunt, quem ciues e celo ducunt. Non tutum propterea est, in reficiendis templis, terram in qua humana corpora longo situ obducta computruerunt ventilare: nam putrida expiratio, abrepta ventis proximas ædes inquinat, ac si non pestem, saltem pestilentes febres habitatoribus quos afflarit infert, vti in foro agonali contigit hisce annis præteritis cum Innocentius X. Pontificia magnificentia, D. Agnetis templum instaurandum curasset; nec mirum cuiquam id videri debet: cum Guainerius lib. 1. de peste cap. 1. monumentis suis tradiderit, aperto puteo in oppidulo Nicolini e Beccatia fossores ex venenata expiratione interijsse: Arnaldus e Villanoua in breuiar. cap. de peste

con-

confirmet, suis temporibus effosso in Campania puteo pestilentem auram e terræ visceribus elatam, regionem late peste infecisse, atque in fodinis metallicis huiusmodi pestifero halitu fossores necari metallicarum rerum scriptores testentur. Hactenus de externis causis iam internas perpendamus.

De internis pestis causis.

CAP. IV.

INterna pestis causa, est genitum in humano corpore venenum, siue ex naturæ cuiuspiam idiosyncrasia, vt tantam humorum corruptionem suscipiat, siue ex prauitate ciborum, succi ex ijs geniti venenum concipiant, siue vehementioris pathematis turbine concussa natura, humores ita conturbet, vt latentis pestis semina excitet, vel imaginitricis facultatis vi aliquando imprimat.

Quod ad primum attinet, controuertitur, an venenum in humano corpore gigni possit non aliunde inuectum. Concludimus posse: nam si aliqua corpora etiam, secundum communem æstimationem sana alia possint veneno inficere, multo magis venenum a quo ipsi perimantur gignere possunt: exempla petuntur ex Hippocra-

te narratur enim Critonem pustula nigra in peda enata, interemptum, ex quo probatur veneni latentis vestigium tunc erupisse; præterea nefarium illud & nobile scortum, quod Indorum Rex Alexandro Regi offerebat, necabat amplexu, cum venenum conceptum venis ob familiarem cicutæ vsum, cui paulatim assueuerat, per insensiles & obscuros meatus transfunderet. Discussa est eadem controuersia a Galeno lib. 6 de locis affectis, vbi partem affirmantem tuetur *qui de hac quæstione* (inquit) *melius disputasse videntur ij eosdem fieri affectus concedunt, & a lætalis veneni potione, & a corruptione quæ e corpore ortum habet, non tamen eos discerni non posse, qui venenum sumpserint, ab ijs qui aliunde affecti sint. Cum enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus, derepente moritur (vt letali assumpto veneno fieri solet) deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium est, aut difluens, aut præ marcore fœdum molestumque reddit odorem; hunc venenum sumpsisse aiunt, pariter eiusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobismetipsis, accepto suæ originis impetu similes sint his, qui pernicioso epoto veneno eueniunt.* Confirmatur a simili, nam vt canis rabie efferatus, venenum concepit, tanta nocendi vi armatum, vt spumæ perfusione humani corporis humores corrumpat, nil mirum est: si venenum in homine progenitum, ob naturæ similitudinem alios homines contaminet.

Gigni

Gigni porro plerumque solet, in humano corpore venefica pestis, ex cibis mali succi: ita sæuissima pestis gallicum exercitum in ægipto D. Ludouico Imperatore inuasit, cum pereuntiu m morbo militum cadauera, in Nilum abiecta fuissent, ac dein pisces, qui cadauerum tabo erant saginati quadragesimali tempore esitarentur: ita longo situ corruptæ fruges inediæ tempore pestem in humanis corporibus sæpius accenderunt, patetque ex cibi prauitate corrumpi humores. cum ita Galenus in lib. 3. de temperamentis sanciat *de omnibus prorsus cibis illud pronuntiare non dubitemus, quod non solum a nostris corporibus pati, sed etiam agere aliquid in ea possunt* id etiam egregiè illustrat in calce libri de cibis boni & mali succi *quod* (inquit) *vitiosi humores morbique gignantur, cruditas assidua maximè in causa est, siue ea ex boni siue ex mali succi oriatur cibis, sed id euidens palamque est, eam scilicet cruditatem longè alijs deteriorem, quam vitiosi succi cibaria efficerunt* cum vero contingere possit, vt mali succi ex improbis cibis progeniti, sint tenues vel crassi, hinc accidit, vt si tenues fuerint, acutas & maleficas febres pariant, & si in aliquam partem decubuerint, erysipelata & alias affectiones calidas concitent; si vero crassi, alios affectus creent. At si insigni adeo putredine excellant ij succi improbi, vt pesti creandæ sint idonei, cum tenuitate sunt præditi, exanthemata & puncticula in extima cute efflorescentia excitant, si

craſſitie valeant & repellantur critico, vel ſymptomatico, aut medio motu, ab hepate, vel liene, venenatos bubones in inguinibus, ſi a corde, ſub axillis glandulas: ſi a cerebro, parotidas excitent. Id vero adeo perſpicuum eſt vt Galenus in ipſo libri exordio peſtilentiæ cauſam quæ ipſius temporibus Romanum aflixit imperium, cibis mali ſucci aſcripſerit, nam propterea colonos maxime depauiſſe, cum fruges bonæ in vrbes ex agris comportatæ fuiſſent, ac radicibus bulbisque herbarum famem compeſcere coacti eſſent, vnde cum æſtas cœpit incandeſcere, putrida humiditas, ex intimis viſceribus in extima erumpens, carbunculis aſperſit corpora, vel in internis ebulliens fœtidiſſimam alui proluuiem effudit vt iure a veteribus decantata ſit parœmia, poſt famem peſtis.

Tertia peſtis interna cauſa, ipſe peſtis metus eſt, vt mirum ſit peſtes ab animo poſſe proficiſci quem effectum naturalem cum animaduertiſſet nugaculus Paracelſus, finxit ex oculis metuentium peſtem nubeculam fundi, quæ lunam maculis inficiat reflexamque à luna, peſte pauidos percutere: vt vero hæc ſunt inania ita metu & lunæ influxu agitari humores veriſſimum eſt, *Plura adeo ſunt vt aiebat ſeneca ep. 13 quæ nos terrent, quam quæ premunt, & ſæpius opinione laboramus amplius, quam re.* Tamque miſeri ſumus, vt miſerias dum eas metuimus, nobis acceſſimus, nec ſufficit nos reſeruari peſti, niſi eam

in

in nobis crearemus: Vidi aliquos peste occupatos cum illius metu, præcipiti fuga in auia se subduxissent; at quia latet huius rei causa eam in luce collocemus.

Regitur ab anima natiuus calor, reguntur vitales, & animales spiritus, reguntur denique omnes corporis facultates, vnde anima à corpore segregata auolant spiritus, atque in putredinem membra difluunt. Cum ergo vehementi pathemate perturbatur anima, minus regendo corpori facultatum functionibus obeundis, & calori natiuo conseruando idonea est: vim etiam animæ in permutando corpore demonstrant impressæ fœtui à matribus maculæ, repentina canicies in iuuenibus expauescentibus capitalem sententiam inducta, cruenti sudores, qui ex aliquotum corporibus dimanarunt, cuius rei exemplum vnius Lusitani in carcere olyssiponensi formidantis supplicium, apud Ludouicum Granatensem extat: denique sequutæ mortes repentinæ quarum Plinius, & alij meminere illustrant: licet vero hæc raro contingant, tamen frequenter epilepsiæ ex metu prognatæ, ac humoribus introrsum confluentibus aluus soluitur metu: exarescit interior ventriculi membrana, quæ ob continuitatem cum ea, quæ ore porrecta est sitim adducit, cuius rei causam affert Aristoteles, problematum sectione 27. quæst. 11. *An hosce conturbatos non sitis, sed siccitas pulso sanguine teneat: vnde etiam accidit, vt pallescant: indicium vero, quod non mul-*

tum ebibunt, sed interdum desorbuisse tantum satis est: at qui se in fugam verterunt laborant, itaque sitiunt: & quibus tormenta instant, eadem ipsa efficiendi ratio est. De vi timoris sæuoque in perturbandis humoribus imperio, hæc Galenus lib. 2. de symptomatum causis: *in timore cum ratio patibilem animi partem, nec inhortetur, magis magisque extinguitur calor: ita vt etiam rigeant eorum nonnulli.* Exemplum eius rei insigne est apud Philonem, in Herode Agrippa Syriæ Rege, qui Caligulæ Cæsaris, indignantis se pro numine non coli à Iudæis, ira perculsus, ignauissimè abalienatis sensibus obriguit. *Rex* (inquit) *anxius, & præ motu per singula momenta colore mutato rubicundus, luridus, liuidus, a vertice ad calcem horrore corripitur, & tremore membra quatiente, solutisque neruis collapsus fuisset, ni eum sustentassent proximi, qui iussi domum illum retulerunt nil sentientem, & subitanea vi mali sopitum, ac stupidum*, & infra *Agrippa tota die parteque insequentis maxima graui sopore pressus, sui compos non erat, & c.* Cum itaque pestilentiæ tempore ex metu perturbentur humores, mirum non est abdita pestis semina in humanis corporibus, quæ timor exagitat ebullire: cumque mœror timori coniunctus sit, infringitur mœrore caloris natiui robur, vnde corpora contrahendæ pesti magis accomodata sunt: quod enim in timore semel, & confertim, id in tristitia paulatim patimur, vtque in metu vehementi, natiuus calor intro

con-

confertim recurrens, repente extinguitur, & præfocatur, ita in tristitia seipsum temporis flexu elidit, vt Galenus memorato lib. 2. de symptomatum causis eleganter explicat, & D. Thomas physicarum rerum vim contemplatus assentitur 1. secundæ q. 37. art. 4. *tristitia* (inquit) *inter omnes animæ passiones maximè corpori nocet*. Propterea Hieronymus in commentarijs in Ioannem tristitiam abominandam ebrietatem vocat, vt enim ebrietas in corporeas facultates tyrannidem exercet; ita tristitia mentem vinctam dolorum catenis, lento supplicio macerat, vt morborum propterea sit ferax, quod Menander nouit hoc carmine *mærores* inquit *pariunt morbos*. Cum vero morbi epidemicæ pestilentiæ tempore in pestem deficiant, hinc pestis metus pariturus morbum, pestem inuehit, nec pestem metu, & mœrore accersi à ratione abest, cum Petrarcha etiam dialogo 113. tristitiam pestem funestiorem peste, animæ scopulum, tacitamque lanienam appellarit, concurruntque in eam sententiam plures medici, ideo vespillones plures, inter concussiones orbis, immobiles stare, nec feriri illius ruinis, non veneno e cadauerum strue afflari, turbinesque mortium despuere, quod præsenti animo pestis insidias carnificinamque despiciant; in exercitibus vero sæpius pullulare pestes, quod periculorum obuersantium oculis tempestates, perturbent humores, atque ad putredinem insignem comparent: in obsessis pariter vrbibus, licet commea-

tus

tus necessarii non defuerint, pestem facile oboriri, quod extremi excidii metus, mœrorque humores corrumpat, nam diuinarum, & humanarum rerum cognitione excultissimus Salomon prouerb. 29. pronuntiat. *Vt vestem tinea, & lignum teredo; ita cor viri tristitia lædit*. Lædit inquam, dum calorem natiuum in quo vires, constant infringit, vt obseruat in problematibus Aristoteles dum humores, ac spiritus commouet, ex quo motu sine vllo feruore, vt Galenus lib. 1. de differentiis febrium cap. 3. tradit, oriuntur febres, dum atram bilem plurimam gignit, quare Hippocrates. lib. 6. aph. 23. pronuntiabat *si metus, & mæstitia longo tempore perseuerẽt atra bilis significatur* lædit etiam dum ad veneficas impressiones excipiendas, cor parat; nam in tristitia, & metu, à periphæria ad centrum motus concitatur, atque adeo si pestifera aura timidum afflarit, mox inficit, quæ ab impauido propulsata esset; nam obseruandum est interdum pestem aerea vectam quadriga, ita efferari vt quoscumque robustissimos & audacissimos etiam alexiteriorum apparatu omni munitissimos prosternat; modo vim illius non ita efferuescere; vt subiecta prout magis vel minus sunt comparata corripiat non aliter quam si scintillæ ex incendio difflatæ volitarint, paleas aridas sulphureamue materiam succendent, trabes vero ob agentis imbecillitatem innoxio adhæsu lambent: ita venenatum effluuium seu miasma: pauidos & consternatos tristitia contaminat, cum; au-

cum audaces in quibus contrarius motus à centro cordis ad periphæriam agitur, nulla noxa afficere possit.

De causa pestis subiectiua.

TRia febrium subiecta, descripsit Hippocrates lib. VI. epidemion. sect. 8. text. 13. angusta hac circumscriptione verborum *contenta, continentia & impetum facientia* de quibus (inquit Galenus) in lib. 1. de differentijs febrium *appellat* (Scilicet Hippocrates) *continentia partes solidas, contenta humores, impetum facientia spiritus, nam febrilis dispositio, modo ex his, modo ex alijs, vti diximus sumit principium*. Hinc celeberrima febrium distinctio in ephemeras, humorales, atque hecticas, a medicis petita est: nam in spiritibus incensis ephemeram, in humoribus continentes, siue synochos continuas, & intermittentes: in solida cordis substantia hecticas, consistere definierunt. Iam inquiritur quodnam ex his sit subiectum pestis, an spiritus, an humores, an partes solidæ: præterea cum spiritum influentium alij sint naturales, quorum meminit Galenus lib. 6. de vsu partium, & probantur ab Andræa Laurentio lib. 6. anatomiæ quæst. 22. alij vitales, alij animales; atque naturales ab he-

pate, vitales à corde, animales a cerebro, veluti trinis fontibus vitæ ac principijs profluant, atque animales per neruos, per arterias vitales, per venas, naturales ferantur: rursum humorum fluentium magna sit varietas & copia, tum naturalium, tum excrementitiorum, quos inter physiologos Auicenna lib. 1. fen. 1. doct. 4. c. 1. accuratè recenset: denique partium solidarum, siue carnes parenchymatum, siue glandularum, siue musculorum spectentur, ingens sit numerus: merito discernendum est, in quanam parte pestis suam sedem fixerit.

Respondeo pestem omnium morborum esse quoddam deterrimum compendium, vt cum in alijs sparsa sint malorum semina, in hac collecta malorum seges videatur: hinc non vnum, sed varium & multiplex esse illius subiectum, nam modo instar incendii: spiritus, humores, partesque corripit: vt nulla pars in humano corpore sit quæ non sibi insitam pestem circumferat modo spiritus tantum, nec quidem omnes, sed vitales tantum: modo tantum naturales: modo humores omnes: modo aliquem extrementitium contaminat; modo solidas partes inuadit. Hinc tot pestium genera pullulant, atque a subiecto tres præcipuæ differentiæ genericæ oriuntur, nam alia pestis ephemeram, alia continuam peracutam, alia hecticam febrim infert. Ex parenchymatum etiam, quæ citius aliis alia putredinem concipiunt discrimine, pestium varia discrimina

pul-

pullulasse : iam controuersiæ nonnullæ, quæ ex dictis à nobis mouentur ventilandæ sunt : nam in primis quæritur, vtrum aliqua pestis sine febre perimat. Secundo an quæ ephemeræ veluti Anglicus sudor dicuntur, in ephemerarum numero sint collocandæ. Tertio an omnes hecticæ pesti coniunctæ e substantiæ cordis labe oriantur.

Circa primum : pestem semper ægros febrili telo perimere probant authoritate Hippocratis lib. 1. epidem. sect. 3. text. 40. *Sunt acutissimi, & maximi, & difficillimi, & maximè lethales morbi in febre continua* : Sed pestis est acutissimus, & maximus, & lethalis morbus, ergo illa febri continua, vt aliorum symptomatum tristi satellitio stipata est. In lib. etiam de flatibus, febrium genera ita distinxit Hippocrates : *Febrium duo sunt genera, vt hæc leui digressione perstringam, vnum quidem commune omnibus appellatur pestis : alterum vero ob priuatam victus rationem, hos qui praua vtuntur inuadit* : Si ergo pestis genus est febris ex Hippocrate : ergo febrim coniunctam habere necesse est. Hippocrati assentitur Galenus qui in comment. aph. 42. lib. 7. pestem inter febres difficillimas, scilicet epialam, lypyriam, elodem, typhodem, & causum enumerat, idemque lib. 1. de differentijs febrium cap. 4. ait pestis fontem esse putredinem circa cor : vt Hippocrates in tertio epidemiorum illustrauit. Si ergo putredo ebulliat circa cor, necesse esse calorem præternaturalem circa cor efferuescere : atqui præter-

naturalis calor in corde inardescens febris est, vt ipse in commentario, in libro de ratione victus interpretatur, *febris generatio, est calidi in igneum conuersio*: ergo pestis febrem necessario accersit. Si denique consulantur reliqui authores Græci, Arabes, & Latini, inter febres de peste, vt febrium nocentissima agere consueuerunt.

Concludimus in partem oppositam, licet nimirum pestis sit morbus acutissimus, & vt plurimum febri coniunctus, tamen cum pestis sæuissima est sine febre enecat. Opprimit scilicet repentino auræ venenatæ impetu, & cordis arcem expugnat, antequam vitales spiritus, tanquam præsidiarios milites, ad eam natura reuocare possit nec enim modo febris, naturam oppugnantis putredinis vim; sed etiam pugnantis naturæ robur significat, vt quodammodo æstus sit certaminis colluctantis cum morbo vitalis facultatis, vt Galenus pluribus locis profitetur; atque adeo iuuenes vehementiore febri corripi solent: vt potè qui, vires ingentes aduersus ingentes morbos exerceant: ignaui autem senes, ignauis tentari febribus consueuerunt. Confirmat rationem experientia: nam vnica nocte centum septuaginta quinque millia militum occisa ab Angelo ex sennacheribi exercitu: interempta peste, ac decem tantum incolumes euasisse, ex Rabinorum traditione Lyranus obseruat: D etiam Gregorius lib. 11. cap. 2. registr. pestem suo tempore tantam ineanduisse plangit, vt febris sensum, mors sæua an-

anteuerteret. Sunt hæc interpuncta suspiriis viri sancti verba. *Vt propheta teste* (Hierem. 4.) *prædictum est peruenit gladius vsque ad animam, ecce enim cuncta plebs, cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur, nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis mors præcurrit: percussus quisque ante rapitur, quam ad lamenta pœnitentiæ conuertatur.* Agathias hist. lib. 9. de peste, quæ Iustiniani temporibus Constantinopolim funeribus oppleuit hanc circumstantiam affert: *interibant autem repentina morte:* Paulus etiam diaconus de gestis Longobardorum. lib. 1: cap. 4. de his, qui repentina pestilenti aura afflati procumbebant, hos tristes planctus fundit, *fugiebant filij, insepulta parentum relinquentes cadauera, si quem forte antiqua pietas perstringebat, vt vellet sepelire proximum, restabat ipse insepultus: & dum obsequebatur, perimebatur: dum offerre obsequium defunctis præmeditabatur, ipse sine obsequio futurum cadauer remanebat: vt videres seculum in antiquam redactum silentium:* nec mirum videatur, si repentino halitu pestilenti, exanimes repente conciderint, cum reguli, vel draconis tenui vapore plerosque exanimatos Ælianus, & Cœlius Rhodiginus testentur: nec non Albertus Krantzius in Vuandalia, demissos in puteum in quo frumenta condita, & putredine obsita erant, tres homines repente interijsse commemoret, quartum vero cum sensim delaberetur, lypothymiæ insultu ten-

tatum, repente se efferri in sublime imperasse. At quia medico medica tractanda sunt, allatas authoritates contrariis medicorum axiomatibus refellamus. Decernimus ergo, non omnes peracutos morbos febri coniunctos; vt Aretæus in procemio lib. 1. de curatione morborum acutorum, quosdam acutos ex febrium complexione, quosdam sine febre desæuire pronunciauit his verbis, *quidam morbi cum febribus acuti fiunt, vt phrenitis, quidam sine febre, vt apoplexia:* præter apoplexiam sunt alij acutissimi sine febre, vt carus, tetanus, cholera, syncope epilepsia quibus pestem annumeramus, quæ cum summum sæuitiæ gradum attigit, repente sine febre interficit: cum vero lenior est febrem concitat. Respondemus itaque ad sententiam Hippocratis, ita dixisse acutissimos, maximè lethales morbos esse febri continuæ coniunctos, vt non negarit aliquos sine febris spiculo conficere: quod in libro de ratione victus in acutis, illustrat his verbis; *sunt acuti morbi, quales appellarunt veteres pleuritim, peripneumoniam, & phrenitim, & causum, & alios morbos, qui horum participes sunt quorum febres, vt plurimum continuæ interficiunt:* ex quibus efflorescit quosdam ex his morbos acutissimos, febre interdum carere: quod à Galeno animaduersum est, in comm. in aph. 19. lib. 2. *febres* (inquit) *continuæ; vt plurimum acutis morbis coniunctæ sunt*, ac rursus in aph. 1. lib. 7. & aph. 7. lib. 7. idem repetit. Denique hoc argu-

mento inuicto confirmatur: pestem sine febre posse hominem extinguere. Ex medicæ artis principum sententia, epilepsiam, conuulsionem, carum, & syncopem, & apoplexiam repente sine febre aliquando perimere constat: sed pestis aliquando repentina syncope, aliquando spasmo, alias apoplexia, modo epilepsia, nonnunquam caro mortales oppressit: ergo sine febre extinxisse aliquando putanda est, idque confirmat Iacobus e partibus vir theoricæ, & practicæ scientiæ medicæ gloriæ florentissimus, grassante peste, ætate sua aliquos homines, dum sani, ac vegeti ab ipso consilium flagitarent, repente exanimatos concidisse. Quod vero ad Galeni authoritatem de putredine, concepta in vasis cordi propinquis, & præternaturalem calorem, atque adeo febrem accendente spectat: respondeo tunc accendi febrem, cum natura ad propulsandam vim inimicam vires exsuscitat, nam si sub illius effera impressione succumbat, sine pugna tum perit: adeo vt illa putredo, quæ minus venefica, & maligna febrem concitatura erat, ob vim agentis acutissimam, & patientis imbecillitatem; nunc cor, nunc cerebrum opprimat repentino impetu, ac vitalem facultatem vinciat lethifero marcore: vt commouere se, inque exercendis viribus æstum febrilem concitare non possit: febris enim, vt præternaturalem calorem indicat, ita etiam natiuum, & insitum calorem cum eo pugnantem designat: vt iure luctantis cum morbi materia, cordis æstus

di-

dicenda sit. At peste adeo sæua raro pereunt homines: nam diuina clementia, quæ iustitiæ seueritatem temperare solet, tam diræ pestis fulmen vix expedit: prius enim coruscationum minis detonat, quam feriat: prius iudicium intendit, quam sententia percellat: prius febrim veluti apparitorem clementer immittit, vt quisque residuis vitæ momentis æternitati se comparet. Ex febribus vero partim ephemeris, partim continuis, partim hecticis, quibus variæ pestes succinctæ viguerunt, controuertitur, an quæ vno die perimunt, sint ephemeræ; superiore enim sæculo cum Henrico VIII. Rege Angliam pestis Lutherana inficere cœpisset, nouum pestis genus adduxit, quæ vnius diei flexu plerosque mortales in Anglia, & Belgio finitimisque regnis sustulit, nonnullos largo sudore diffluentes dimisit incolumes, vt Polydorus Virgilius, hist. Angl. lib. 20. Ioannes Caius de ephemera britannica, fracastorius lib. 2. cap. 5. de morbis contagiosis, Gemma cosmocrit. lib. 1. cap. 5. Leuinus Lemnius lib. 2. de complex, cap. 2. Ioannes Tyengius in obseruationibus, Ioachimus Schillerus in commentario de peste britannica, & alii suis monumentis tradiderunt, adeo vt publica multarum gentium clade argueretur Conciliator, qui differentia 94. negauerat, pestem ephemeræ coniungi posse, quod nimirum ephemera vnius diei flexu circiter periodum, absoluat, raro ad dies tres, vel quatuor excurrat; tum salubris sit ephemera: pestis vero ex

Isaaco

Isaaco lib. feb. 5. cap. 4. in principio, & Auicenna lib. 4. tract 4. cap. 1: exitium plerumque afferat. At britannicam pestem vno die mortales confecisse, Angli, Belgæ, Bataui, Celtæ, Dani Noruuegi luxerunt. Num vero illa, quæ secundum grammaticalem sensum verè quidem erat diaria, seu ephemera, etiam secundum medica axiomata in spiritibus consisteret, controuertit Petrus Salius Diuersus lib. de febre pestilent. cap. 9. nam in spiritibus influentibus constitisse arguebatur, ex symptomatum præcipiti motu, fluxam esse materiam, quæ naturæ robore discuti, ob illius tenuitatem breui temporis interuallo posset: nam cum primum corriperet hominem, fractæ concidebant vires, pulsus inæquales celeres, & frequentes micabant, lypothymia affectum cor palpitabat, ac sæua morbi procella abreptæ animæ soluebantur corporibus: aut si viuaci robore in ijs fixæ hærerent, tantus sudor defessis membris scaturiebat, vt in alterum diem manaret: diuturnus verò languor afficiebat ægros, & cardialgiæ ex leui causa recurrebant, vt britannicæ pestis fulmine afflatos esse constaret. At ex defixis malignæ labis in ægro corpore vestigijs, ac symptomatum assidentium vehementia arguebatur, non spiritus tantum venenata aura fuisse labefactatos: sed etiam humores, qui naturæ robore per tacitos corporeos meatus depulsi in sudorem efluerent. Confirmatur ex eo, quod sudor, qui ex syncope, seu virium præcipiti lapsu manat malus sit, vt

qui

qui ex retentricis facultatis imbecillitate o. iatur, at hic ab expultricis insita vi protrudebatur, ac mali fomitem, ita deturbatum constabat: quare medici ad hydrotica alexipharmaca proliciendumque omni arte sudorem, studia conuerterunt. Præterea impressam fuisse cordi labem, palpitatio, ac tremor cordis, languorque virium ostenderunt, nam cum spiritus continuo gignantur, ac dissipentur, refici æger, ac pristinas vires colligere exiguo tempore potuisset, nisi praua labes cordi inhæsisset, atque adeo ratione temporis, non ratione materiæ ephemeram extitisse Salius conclusit: in qua controuersia, vt meam promam sententiam repeto Galeni axioma lib. 2. de crisibus cap. 13. *Dico duo esse febrium genera; alterum cum pars aliqua laborat: alterum cum humores tantum accenduntur: nunc ordine suo dicendum est, de tertio genere febrium, quæ ephemeræ vocantur: sunt vero passiones spiritus solius sine humorum putredine, aut partis phlegmone nisi inflammatis inguinibus accidant.* Quibus verbis Galenus, egregie tria febrium genera distinxit, petita ex partium solidarum substantia, ex humoribus, & ex spiritibus: descripsit vero duas ephemerarum species, alteram cum spiritus soli: ex ira, vigiliis, cruditate, tristitia, timore, curis, insolatione, perfrigeratione, lassitudine, ebrietate, inedia, exilium meatuum constipatione inflammantur: alteram cum ex tumoris phlegmone, in inguinum glandulis putrescente humore, spiritus etiam in-

ca-

calescunt: quibus ipsi tertium ephemeræ pestilentis genus adiungimus. Hæ tres ephemerarum species, in eo quidem consentiunt, quod in tenui, & dissipabili subiecto consistant; & vnius diei flexu periodos circumscribant: distinguuntur vero, quod prima nulli putredini sit coniuncta, secunda ab efferuescente vnius partis putredine concitetur; tertia non tantum feruidiores spiritus, sed maligna labe affectos habeat, vnde ea maligna vis, mox in tenues, & roridas humiditates, ipsosque spiritus cordi insitos facile transfunditur; quis enim neget accensis spiritibus calefieri humores, & aliquem etiam calorem cordi imprimi negauerit, vel propterea asseruerit ephemeram non esse, ita nec ephemeræ pestilenti, ephemeræ nomen inuidendum est: si labem humiditatibus liquidioribus, vel spiritibus fixis illeuerit, sufficit enim, vt primo, & principaliter pestiferum venenum spiritibus inhæserit: ideo vero ingens sudor, in peste britannica toto corpore, si medica arte concitaretur, vel solius naturæ robore propelleretur diffluebat: non quod humores omnes, inquinati forent, sed quod tenues spiritus infecti illis permixti essent, quam difficultatem dum Mercurialis lib. 5. de febr. cap. 17. discuteret, in eam discessit sententiam, vt licet in spiritibus hærere fateretur ephemeram, non tamen ephemeram, sed per quandam similitudinem dixerit, verum non tantum ephemeram analogè, sed etiam vere ephemeram, cum vno

die circuitus suos definiat, atque in spiritibus consistat censeo, licet longo discrimine ab aliis ephemeris, ob efferæ, & malignæ in humores, & cordis substantiam qualitatis impressionem differat; iam vero hanc pestem in spiritibus sitam probamus:

Aristoteles 4. meteor. cap. 1. hæc pronunciat, *Putrascunt omnia alia, excepto igne: nam terra, & aqua, & aer putrescunt. siquidem hæc omnia ignis veluti materia substernuntur: putredo est interitus proprij ac naturalis caloris in quouis humore ab alieno prosilisceni calore.* Si ergo omnia excepto igne computrescere possunt cur spiritus seu naturales, seu vitales seu animales, non possint in humano corpore putredinem concipere, cum sint quædam mixta, ac naturales e subtiliore sanguinis portione, vitales ex sanguine & aere, animales ex vitali spiritu & aere præparato formentur.

Confirmat Galenus lib. 1. de differentijs febrium cap. 1. dum tria febrium genera, ex corporis substantia, ex succis contentis, ex spiritibus præternaturalem calorem concipientibus distinguit, subijcit ab aerea substantia, maxime spiritus affici: si rationem exquiris, in promptu illa est, Omnis substantia tenuis citius alteratur, quam crassa. Idem cap. 4. eiusdem libri addit *in pestilenti aeris statu inspiratio plurimum est causa* cum ergo aer in arterias raptus, inficere spiritus possit, ac medijs spiritibus, humores & solida sæpe inficiat, quæ ratio vetat, ne spiritus putredine possint

affi-

affici. Denique ex omnium philosophorum sententia, corpora calida & humida sunt putredini obnoxia, atqui spiritus teste Aristotele 2. de generat. animal. 2. sunt corpora humida & calida, cum ex alimento calido & humido gignantur: nam si de vitalibus sermo est, qui maxime sæuiente peste inquinantur, ij ex materia aerea & sanguinea fiunt, vt Galenus lib. 6. de placitis Hippocratis & Platonis edocuit, quare Hippocrates in libris epidemiorum qualis sit aer, tales esse spiritus, ac tempestatem caliginosam & nebulosam, caliginosos & nebulosos spiritus, gignere præmonet, & aphor. 5. sect. 3. austros auditui graues, caliginosos, & exoluentes esse pronuntiat: quod scilicet obsito caligine, & nebulis aere, minus tenues ac pellucidi spiritus gignantur: ita ferunt literæ exaratæ Neapoli a R. P. Theatinorum præposito die 8. Iulij consignatæ aerem nebulis horrere: infælicemque vrbem ita vastatam peste vt centum ac septuaginta millia cadauera sepulchris fuerint condita; sexaginta vero millia rogis tradita: nec quemquam sacerdotis, medici, chirurgi aut pharmacopolæ publico munere fungi: ergo si infici & corrumpi secundum aliquas sui partes aer potest: corrumpi spiritus possunt, vt vero si gignantur ex aere & tenuato sanguine paucis excipe ab Andræa Laurentio lib. 9. q. 11. *Aerea hæc substantia, (inquit) sola vitalem in corpore calorem continere non potest: necessaria est itaque tenuissimi sanguinis permixtio, qui aeris impetum cohi-*

beat. : vtraque materia, priusquam ad sinistrum cordis sinum feratur : præparatione indiget : aer per os, & nares inspiratus, in pulmonum vasis & tota eius substantia, molli, rara, ac spongiosa præparatur, & familiarem innato spiritui qualitatem longiuscula mora recipit, præparatus aer in pulmone per arteriam venosam fertur; in sinistrum sinum. Hæc aeris est præparatio, hi ductus per quos in sinistram specum fertur. At de sanguinis præparatione quantumuis iuniores noua iactent commenta, censet cum Galeno sanguinem per venam cauam in dextrum cordis sinum fundi, in eo subigi & tenuari, ac portionem eius per venam arteriosam ad pulmonem nutriendum distribui, alteram per septum medium penetrare in sinistram cordis officinam; vbi permixtus aeri sanguis, vi cordis insita, ac innato spiritu veluti in vitæ fornace decoctus, vitalis spiritus formam induat: eo allusit Hippocrates cum aerem inter alimenta recensuit lib. de flatibus. Denique insolubili argumento Petrus Aponensis, & alii qui eius sententiam sunt amplexi arguuntur, vitales & animales spiritus putrescere posse. In phtisi, & lippitudine exploratum est, eos morbos sua contagione astantes posse inficere: si vero experimenti certi causas perscruteris; Aristoteles 7. problematum 8. & Alexander Aphrodiseus, 2. problem. 92. hanc subiiciunt, spiritus inquinatos ac vitiatos ex oculis; vel pulmone infectis erumpere, in finitima corpora, eandemque labem iis imprimere.

As

At licet spiritus corrumpi posse a nobis sit demonstratum, tamen difficilius corrumpi, quam humores, experimento & ratione confirmatum est: nam philosophus in libro de corruptione, & Galenus lib. 10. method. medendi ea quæ sunt siccitate magis prædita, minus putredini obnoxia pronuntiant: cum ergo spiritus, minori humiditate quam humores polleant, adeo vt si comparentur cum humoribus calidi & sicci, ex Conciliatoris in differen. 94. sententia, nuncupari possint: ergo ad concipiendam putredinem minus sunt idonei, & raro ephemera pesti, sed vt plurimum continua acuta coniungetur. At de hectica, quæ pestem aliquando sociat controuertitur num pestis vere cordis substantiam possit inuadere; nam primo obijcitur febrem hecticam post alias nempe diarias vel putridas oboriri atque ab habitu febrili nomen traxisse; at ille habitus nisi multo temporis flexu contrahi potest; quæ vero dicitur pestilens hectica, ocyus hominem enecat, nec in habitu sed actu cordis substantiam celerrimè corrumpente consistit: ergo inter hecticas non censenda est. Secundo febris hectica dignoscitur, quod referente Galeno, post cibum sumptum dum membrorum arentium substantiam benignus alimentalis humor perfudit, non aliter quam calx aqua aspersa efferuescere consueuit: atqui in peste, huiusmodi signum non conspicitur; nec enim a prandio, vel cœna immutari pulsus, aut membra inardescere cernuntur. Tertio hectica

est

est intemperies calida & sicca, solidarum partium lædens operationes, vel vt Auerrhoes 3. collig. c. 11. sensit *est calor extraneus fixus in membrorum substantia absumens natiuum humidum* at pestilens febris quæ hectica dicitur, non in qualitatis, sed substantiæ naturæ nostræ infensæ, genere consistit: ergo inter hecticas statuenda non est. Quarto hectica humectantibus & perfrigerantibus percuranda est, ex Galeni præceptis lib. 10. meth. cap. 11. *quanto* (inquit) *hecticarum febrium effectus est calidior, tanto vtique frigidiora requirit auxilia: & simul maiorem solicitudinem, ne valentibus auxilijs quidquam lædamus*. Et in libro de differ. febr. cap. 8. ait de hecticis *earum natura calida est & sicca: cùm tale aliquid cor patiatur, quale lucernæ fames: cùm fuit plurimum exustus*: At quæ pestilens est, desiccantibus & calefacientibus (his enim facultatibus excellunt cardiaca) curatio pertentanda est. Quinto dantur varij hecticarum gradus: nam Galenus lib. 10. methodi. cap. vlt. tres distinguit, his verbis *primus eiusmodi febris propriam partium humiditatem, ex qua nutriuntur depascit hinc vero ad carnosum genus transit, quod circa tum fibrosas, tum membranosas partes, solidorum corporum hæret: ita deinde ipsas solidas populatur* has vero lib. de differentijs febrium ait penitus intabescere: non aliter quam cùm arbos exarescit; vel ob longitudinem temporis, aut flammæ circum volitantis ardorem, aut vehementem immoderatamque siccitatem. At in pestilente quæ substan-

stantiam cordis depascere fertur, non humidum natiuum exhaurit, sed puttedine horrida cordis substantiam fœdat: vt etiam ex ipso erupisse vermes ab historicis ferantur: ergo ad hecticas, huiusmodi pestilens referenda non est. Denique ex Aristotele in homine viuo corruptionem cor non patitur, ait enim lib. 3. de partibus animalium cap. 7. *cor caloris principium est: debuit enim esse veluti focus in quo natiuus ignis seruaretur, atque adeo tutissimum, veluti arx totius corporis* confirmatur ex Galeno cap. 2. lib. 5. de locis affectis: si ergo cor, firmissimum corporis est propugnaculum: prius reliquæ partes offendentur, quam cor in peste epidemica; ab influxu cœlesti, vel in contagiosa, a venefico effluxu patiatur.

Conclusio. Sæuit non raro febris pestilens hectica solidæ cordis substantiæ, vel insitis spiritibus insidens: licet in causis & symptomatibus ab alijs hecticis admodum discrepet.

Probatur prima conclusionis pars ex Galeno lib. 3. de præsagitione ex pulsibus cap. 3. qui in maxima pestilentia, magnam hominum multitudinem febre huiusmodi perijsse ait, probatque fuisse hecticam, cum in ijs pulsus parum à naturali deflexisset: nec vllas febris exacerbationes, nec remissiones, imo nec se tentari febre persentiscerent *qui quidem* (inquit) *præter cæteros perierunt* etenim hæc duo hecticarum signa esse decernit. Probatur ex Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 2. *quandoque est* (inquit) *de his febri-*

bus

bus pestilentialibus, in qua non percipit æger nec tangens propinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens velociter.

Probatur tertio Gentilis, & Michaelis Sauonarolæ authoritatibus, cum huiusmodi hecticas pestilentes vidisse confirment, adeo vt nec in vrinis, nec in pulsu, nec in lingua, nec in vultu, vlla grauioris febris signa emicarent: & medicis stupentibus ægros conficerent. Probatur secunda pars conclusionis ex ipsis obiectionibus, in quibus pestilentis hecticæ, ab aliis hecticis discrimina afferuntur. Respondeo ergo ad primum: hanc pestilentem febrim non dici hecticam ab habitu, in quo sensu Aristoteles in prædicamento qualitatis dixit aliquas febres vel morbos habituales dici; sed quod eæ febres cordis substantiam inuadant: adeo vt non modo aliquot dierum, sed horarum breui flexu perimant. Ad secundam tertiam & quartam obiectiones respondeo ex his probari hecticarum pestilentium, & non pestilentium discrepantiam, ex qua etiam efflorescit curandi methodum discrepantem esse. Ad vltimum Respondeo licet cor ex Aristotele vel Galeno caloris fons, ara vitæ, facultatum arx & propugnaculum sit: putredinem tamen aliquam in homine adhuc spirante pati posse: probatur experientia fernelij lib. 5. pathologiæ cap. 12. *in quodam* (inquit) *qui sensim contabesc.ns & liquescens de medio tandem sublatus est tria vlcera in corde reperi, non parum caua & sordida,*

dida, multo iam tempore contracta probatur etiam ex Nicolao Massa in lib. de anatomia cap. de corde, ex Guillelmo Fabricio lib. 2. obseru. Chirurg. 27. ex Mathæo Cornaxio cap. vlt. hist. ex Ludouici Dureti Scholiis, in Holler. lib. 1. cap. 29. ex Beniuenio cap. 89. ex Vesalio lib. 1. cap. 5. & aliis: probatur demum ratione; nam ex ipso Aristotele putrescunt omnia excepto igne: ergo licet cordis substantia minus quam alia putredinem concipere possit, quod vitalis ignis sit ara, putredinem tamen concipere potest: quippe vt ait Galenus lib. meth. 11. cap 8. *putredinis natura est, mutatio totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam a calido externo: non enim profecto a proprio calore corrumpitur quidquam* obseruandum autem est in hectica pestilente, si fuerit epidemica posse ipsam cordis solidam substantiam, ex influxu maligno putredine infici: sin vero ex effluxu & contagio malum susceptum sit: primum spiritus influentes: deinde insitos inquinari.

De contagiosa peste.
CAP. VI.

Ficinus in epidemiarum antidoto cap. 29. Hæc de contagio præcepta dedit, *Pestis tempore, fuge hominum conuersationem, maximè cum es ieiunus, sis semper a socio remotus, in aere aperto, ad minus per spatium bicubiti, & ab infecto per sex cubitos; & caue ne ventus ab eo in te spiret, & inter*

te, & ipsum, sint sol, ignes, odores.

Docuit hæc perspicua experientia; nam alias pestes non aliunde inuectas, sed ex insigni humorum prauitate pullulare animaduersum est, alias vero non ex pestilenti sydetum coniunctione: non ex inquinato aere: non ex improbo, & insalubri victu: sed ex pestiferæ vestis contactu, vel afflatu hominis incruduisse: tristium horum exemplorum adeo ferax orbis est, vt hæc recensere sit superuacaneum: nec latuere hæc Hippocratem, & Galenum, nam prior, cum in libro de natura humana duas epidemiorum morborum causas, nempe victus rationem, & spiritum, quem e cœlo ducimus attulisset, adiecit: eum (nimirum spiritum vel aerem *morbosam quandam excretionem habere manifestum est*. Hoc est vt interpretatur Anutius foetius, in onomallico, morbosam quandam exhalationem, quasi morborum seminarium ex qua non modo primis qualitatibus sed potius totius substantiæ proprietate infensa, morbi excitantur: atque adeo Galenus explicat, illam excretionem esse *anatymiasim, maximè proprietate substantiæ non simplici qualitate corrũpentẽ* & in lib. de flat. ab Hipp. miasma id est inquinamentũ vocatur: hoc ergo venenũ ab humano corpore illapsum in aerem seu in aliud corpus transfusum cum per poros occultos corporis humani trahitur, præpotenti agendi celeritate illud immutat & contaminat, nisi passum restiterit: licet vero animalia venenata contactu venenum iaculentur, vt canis rabidus, aranea, phalan-

gium, tarantula, scorpius, serpens, tamen ea venena contagij nomen non sortiuntur cum non per solum contactum sed per vulnusculum laniatamque cutim virus infundant: adeo vt hæc venena ignaua sint, cum sint crassiora & viscidiora, si cum veneno quod a peste correpti hominis corpore diffluit conferatur: sine vllius enim vulnusculi sensu contrucidat, atque hoc veneno quisque promptius inquinatur a laborante peste: *quanto* (inquit) *Ficinus* cap. 24. *propinquior tum cognatione complexione naturaque, & constellationis symboleitate* visumque est in nonullis vrbibus cum pestis vnius nationis homines depasceret, alios ex longinguis nationibus oriundos vt pote temperamento dissimiles, immunes a pestis contagione euasisse. Sunt etiam nonulli morbi, qui contactu alterius laborantis suscipiantur, vt phtisis: lues venerea, scabies, lepra, mentagra tempore Pliuij, ac lippitudo; adeo, vt etiam nonnullorum irati oculi venena iacularentur: tum nonnullæ etiam malignæ febres, & dysenteriæ, ex nimia cum ægris familiaritate, atque effluxus ab ægro corpore prodeuntis inspiratione, interdum contrahuntur; quia tamen pestis, ex obscurissimo contactu suscipitur, contagij nomen sola adepta est, quod reliquias esse, mixti insigniter putrefacti docet Capiuaccius lib. 6. cap. 36. In hoc vero pestilentiæ semine oculorum fallente aciem, admiranda est tum eius vis effera, & celeritas præceps in corrumpendis humoribus: tum alias in agendo tarditas:

nam vidimus aliquos, eodem die quo peste laborantem, cum morbi causam non agnoscerent, inuiserant: peste correptos, vertente quatriduo extinctos: alios vero, qui omni studio emundari ab infectionis labe putabantur, post quadragesimum diem peste sauciatos. At eadem vis in aliis etiam venenis conspicitur, nam virus à scorpione effusum, tenuissimum est mole, potestate tamen ingens, vt citissimè corporis humores contaminet: & spuma rabidi canis vulneri aspersa, septimo postquam vulnus coaluit mense, insensili per capillares venas progressu, in cordis arcem irrepens, miserum hominem in rabiem efferauit: & qui fermenti vim in pane fermentato attenderit, vt tenui spiritu, vniuersam massam peruadat, attollatque, atque saporem immutet, facilè agnoscet, contagium esse pestiferum fermentum: quod vbi in humanum corpus irrepsit, ebullitionem feruoremque humorum concitat, præcipueque atram bilem fermentat, vt efferuescens, carbunculis cutem aspergat, bubonesque in inguinibus excitet; ita Hippocrates in lib. de ratione victus ait *nigra fermentantur; in sublime attolluntur, & multiplicantur*; idem in prorrheticis, vrinas perturbatas, ob exagitatos scilicet crudos humores, vt interpretatur Galenus, *fermentatas vrinas* appellauit, quas inter alia pestis humores conturbantis signa, recensent authores: egestiones pariter crassa, & flatuosa substantia permixtas fermentatam excretionem dixit,

xit, in coacis prænotionibus: ac lib. 4. epidemior. hepatis tumorem, ex terreni cuiusdam ac solidi, ab aere intus concepti, spirituumque agitatione, & ebullitione distenti, fermentationem hepatis nuncupauit. Ex dictis effloreſcit, contagium esse morbosum semen, fermentum pestiferum, affluxum lethiferum, ita vt ab expirante ægro, seu venenato dracone mortium agmina diffluant: O miseram mortalium sortem, in quæ calamitatum tristiora spectacula redigi possunt; quam vt iugulentur ipsi peste, & simul amantissimorum administrorum, vel coniugum, vel parentum, vel liberorum, carnifices fiant. Contine misericors Deus, expedita in reorum capita iustæ iracundiæ tela: reatum expiamus, dum nos reos demissione christiana profitemur. Eniteſcit etiam ex superioribus, pestem quæ ab ægro corpore in sanum dimanat, non ab astrorum maligna vi, seu tempestatum pestilenti constitutione effluit: per antonomasiam dici contagium, cum cæteris morbis, qui contactu adstantes inquinant, nocendi vi ac sæuitia antecellat. Quanta vero ea sit, non modo ex frequentissimis eorum funeribus, qui occultis, & blandis contagij insidijs perierunt constat, sed atrocissimis etiam, ac repentinis eius assultibus: insignis est Ambrosij Parei lib. 21. de peste, cap. 12. historia, ac dignissima, quam ex eius monumentis repetamus *Ego*, inquit, *cum aliquando peste correpto homini, ad quem inuisendum vocatus eram, propius, & imprudentius adstarem,*

vtque bubonem quem in inguine dextro, anthraces vero duos, quos in aluo habebat intuerer, confestim diductis stragulis ipsum renudassem; actutum densus vapor, teter, & putridus, ex rupto carbunculorum abscessu, tanquam e fimo agitato, per nares in cerebrum mihi insiluit; ex quo oborta lipothymia mortuo similis, praeceps in terram sine sensu decidi: paulo post excitato, omnia veluti vertiginoso in gyrum circumagi videbantur: iterumque relapsurus eram, nisi apprehensa lecti columna, me sustentassem. Caeterum vna res me tunc consolata est, quod affecti mihi cordis, dolore, aut palpitatione, fortiue virium, & contumaci exolutione, nulla apparuerunt signa; argumentum dissipatorum tantum spirituum a venenato vapore animalium; nullatenus vero laesae cordis substantiae: confirmauit opinionem subsequutum mox sternutamentum tanto impetu decies repetitum, vt haemorragiae consequutionem mox attulerit: quae me excretio credo omni veneni impressione liberauit; discant sapiantque moniti meo exemplo caeteri. Haec ille.

Quod vero ad contagii differentias attinet, Ludouicus Mercatus duas affert: nempe vnam, in insigni putredine constantem; aliam vero in qualitate occulta, & tenui spiritu sitam, refellunt alii eius sententiam, vt Sennertus: ego vero, vt meam sententiam, in hac controuersia ingenuè promam, statuo tot esse contagii discrimina, quot sunt pestium genera: ac in primis putredinale illud admitto, nam impressio illa pestifera, quam

Pa-

Pareus sensit, ex putredine excellenti quam peste laborantis vlcera efflabant oborta est: & vidi chirurgiæ tyronem, qui paulo audacius decumbentis peste cataplasmata putrida sanie delibuuta contrectabat, quadragesimo circiter die interemptum peste, cum ille quem percurarat conualuisset. At præter hoc contagium euidens, alia esse contagia latentia exploratum est, quæ sine vllo putredinis sensu, corpora interimant: nam si in putredine tantum excellenti contagium consisteret, cur non viuentium corpora fœda plerumque proluuie colliquescentia, tetramque mephitim vomentia, peste circumstantes non inquinent; cur non cadauera, fluentia tabo, quæ quisque paulo accuratior stulti humani fastus explorator, horridam fœtoris nubem diffundere expertus est, pestifera contagia difflant; non ob aliud certè, quam quod non in putredine simplici, & pura, sed vel in occulta qualitate, vel in substantiali forma, proprio huius, vel illius hominis temperamento contraria, inhæserunt. Nec tantum ex effluuio corporum id probatur, verum etiam ex vrinis, nam aliquæ fœtentes, nulla labe pestifera inspectorem contaminant, aliæ vero externa specie sanæ subtili aura exploratorem audacem interimunt. Nec cachinno explodendi sunt arcanarum qualitatum, & substantialium formarum assertores; nec fuit hæc recens inuenta opinio: sed veterum obseruationibus confirmata, vt ex Galeno probatum est, dum contagium vocat

expirationem proprietate maximè substantiæ non simplici qualitate interimentem; qui etiam perpenderit venena specie siue forma substantiali distincta: nam cantharis vesicam, lepus marinus pulmonem, torpedo neruos suo veneno ferit, cur non tot pestium, quæ mortales affectis diuersis partibus exercent, contagia specie differant; nam si contagium quod Græcos, & Latinos ad Ferrariense concilium vocatos sputo sanguineo exterruit, adeo vt Florentiam vna cum Eugenio IV. perfugerent: si Clemente VI. Pontifice, pestiferum contagium ex Tartaria aduectum, Genuensibus triremibus, cordis substantiam tanta putredine infecit; vt ex eo scaturirent vermes: Si Theucydidis temporibus; contagium pestilens, phlegmonem, in partibus internis tantam concitabat; vt etiam ad sorbenda flumina fontesque, & puteos hauriendos lymphati ægri, præcipites se conijcerent, haustique aquis perirent: si modo inusti carbunculis, modo maculis interpuncti, nunc bubonibus turgidi, nunc liuoribus horridis suffusi extinguuntur: cur non eterogenea contagia suscepisse putandi sint: facessant ergo imperitorum supercilia, qui imperitiæ sarcasmate, occultas qualitates occultasque formas substantiales afferentes percellunt: Ad alia digrediamur.

Adducitur in controuersiam, an plura contagia, siue pestifera semina vel inquinamenta, erumpant ex corporibus, vel extinctis vel spirantibus; controuersiæ ratio hæc est, si pestis hominem

nem interimere potuit: ergo in corpore interemto magis virus exacuit, nam auctis pestiferis viribus, humoribusque corruptis sæuijt. Secundo in viuente corpore, natiua facultas resistit veneno: in extincto, furenti veneno laxæ effunduntur habenæ: probatur illud ex deformata peste extinctorum facie, ex atris maculis, quæ passim corpora inficiunt. Tertio si corpora, in prælio confossa ferro, vel equorum calcibus obtrita, aut bellicis tormentis laniata, sua putredine pestem inferre queunt, ergo potiori iure extincta peste cadauera contagia pestis, latius quam viua corpora iaculari possunt: confirmatur recenti experientia, nam lachrymis cruentis digna clades Neapolitana mense iunio anni MDCLVI, ex cadauerum peste interemptorum, ac passim in ædibus & compitis iacentium contagio, maxime iacanduit. Tuetur eandem sententiam Laurentius Ioubertus lib. de peste cap. 3. nam extincto cadaueri victricem pestem insidere, armatamque putredine quæ extincta inuadit corpora, crudeliorem carnificinam diffuso contagio exercere posse asserit. At Guillelmus Rondeletius lib. de febribus inscripto capite de febre pestilentiali aduersatur huic, adeo opinioni vt contagium cum extincto corpore extingui contenderit *Corpora* (inquit) *mortuorum quæ amplius non expirant, nullum venenum eiaculantur, quod si aliquid contrahatur, hoc potius ab eorum pannis contrahitur, quam vlla re alia: Siquidem dissecuimus aliquando corpora mortuorum ex peste, multis*

spectantibus studiosis, sine aliquo damno: propterea quod mortuo animali perit omne venenum, & quia ignorabamus etiam eos mortuos ex peste, quae causa fuit, vt minus turbaremur, quod certissime confirmat; illam fieri propter perturbationem sanguinis cacochymi: tunc enim venenum maximè corpora nostra inficit, propterea quod humores suo loco mouentur: vnde venenum illud recipiunt quod a natura non conseruantur: natura enim humores & succos omnes quiescentes suis locis facilius regit, quam agitatos, & extra suos limites digressos. Hæc Rondeletius.

Decerno in hac controuersia, difflari a viuente maiora pestis contagia, quam vitæ experte corpore, nam peste correptum corpus, dum aerem pulmonibus & arterijs exceptum reddit, simul venena spirat, ebullientesque in ægro corpore humores foras prorumpunt. Secundo vt Thomas Jordanus de pestis phænomenis tractatu 1. cap. 18. obseruat, halitus qui a viuo corpore difflantur, maiorem ad spiritus viuentium corporum inficiendos ob syngeniam & cognationem facultatem pollere, quam qui ex mortuo funduntur, viuens enim viuenti, maiore affinitate & similitudine coniunctius esse, quam mortuo & pestis contagia, facilius a simili in simile transfundi.

Ad contrarium argumentum primum respondeo, licet pestiferum venenum vicerit extinctam naturam, tamen contraria reactione eius vim plurimum hebescere. Ad secundum respondeo quantumuis in extincto corpore, pestis sæuam tyran-

nidem

nidem exerceat, non tamen vt antea ab insito calore, & naturali cordis motu spargi ac ventilari. Ad tertium respondeo, ex cadaueribus peste extinctorum fundi contagia, non tanta tamen quanta ex viuentibus probatur aduersus Rondeletium, id perspicuè: nam cadauerum substantiam difflari, tam certum est, quam solui in graueolentem fimum perspicimus, si ergo instar reliquorum inanimatorum in tenues partes abeunt, cum illæ pestifera contagia vehant; certissimè constat, funesto contagio finitima inquinare posse. Secundo certa experientia constat ignes fatuos, suspensorum cadauera interdum lambere, quod nimirum erumpentes halitus flammas concipiant. ergo a pari, pestiferi halitus e cadaueribus peste interemptis exeuntes, pestis contagia circumferent. Probatur tertio communi omnium medicorum sententia, qui cœmiteria in quibus extincta peste corpora terræ mandantur, declinari iubent non alia quidem de causa, quam quod pestilentiæ semina in circumiacentem aerem iaculentur; denique Theucydides refert feras in peste Atticâ non attigisse insepulta cadauera, vel si quæ famie extimulatæ, leui morsu libassent, pestis contagio perijsse. Denique Rondeletius ex dictis confutatur, nam si panni qui cadauer peremptum luo tetigere, contagio infici possint; ergo contagii semina circumferuntur cadauere; si funes quibus raptata sunt peste occisa cadaueta Iustinopoli, vt testatur Trincauellius, euoluto triginta annorum flexu, pestis contagii

transfundere potuerunt; quanto magis eadem cadauera, pestis semina circumtulerunt: nam, in eodem agentium causarum ordine, aristotelicum axioma exploratissimum est lib. 1. analyticon posteriorum cap. 2. *propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*, atqui vestes, & alia quæ extinctum peste cadauer contingunt, pestis contagia suscipiunt: ergo & ipsa cadauera, pestis contagia fundere possunt: itaque si qui contrariam sententiam tueantur, ad vespillones animandos, vt funebre officium peragant audacius, finxisse hæc existimandi sunt. Quæritur etiam num qui pestis contagia circumferre, neque in alios transmittere illæsi possint? Respondeo id quotidiana experientia compertissimum, nam qui incautè eorum vtuntur consortio, qui peste laborantibus operam locarunt, pestis contagia suscipere, quamuis ij nulla insigni noxa affecti sint: nam e vestibus eorum, leui aura in alios ea transferri possunt: difficilius vero illud est, num quis etiam suscepta suo corpore pestis contagia efferre possit, nec vllo tamen damno violari: & id quoque fieri posse assentior, cum non tantum agentis vis, sed etiam resistentia passi perpendi debeat, vt enim venena ab aliquibus impunè vorari, testatur Galenus lib. 3. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 18. & eadem pharmaca perimant nimia ventris solutione aliquos, quæ in alijs insignem excretionem concitare nequeant, ita nonnullos quodammodo pestis contagia assuescere

vt eo non lædantur, cum alio, praua contagione inquinare possint: ac Palmarius lib. de febr. pestilenti, cap. 15. obseruat coriarios, & eos qui fœda tractant, vt etiam eos qui latrinarum purgamenta exportant, vel aeris inquinamentis longo vsu assueuerunt, crudelissimarum pestium contagia tuto despexisse: sensim enim in ijs natura ad respuendas huiusmodi iniurias confirmata est: quæ tamen aliquam labem improuidè eorum familiaritate vtentibus allinere possit; olfactu Psyllorum fugari serpentes Plinius lib. 8. cap. 25. tradit, pariterque antipathiam quandam nonnullis intercedere cum pestis contagio visum est: qui vero ad illud contrahendum siue immediatè per effluxum ab ægro corpore, siue mediatè per fomitem sint comparati, describit Ficinus in epidemiarum antidot. cap. 3. *pestis*, inquit, *vapor accendit eum vbi maior est naturæ similitudo, & in corpore recrementis pleno, cum fœtidis intus, & extra odoribus, & in cibis humoribusque superfluis, ad inflammationemque, & putredinem aptis, & vbi calida est materia, & humida, vel cor coitu debilitatum, & in corpore passionibus animæ defatigato, & vltra modum calido, & quod balneis assuetum est, & cuius pori sunt nimis patentes seu multum oppilati*; nonnullis interiectis de hominum temperamentis edifferens, addit *pestis vapor omnem maculare potest humorem, sed potissimum sanguinem; secundo choleram, tertio phlegma, quarto melancholiam: ideo prius sanguinei huic periculo subijciuntur,*

deinde cholerici, postea phlegmatici; postmodum melancholici; quia humor frigidus, & siccus, ad inflammationem, & putredinem ineptus, & strictos habet meatus. Hæc ille.

Interdum accidit, vt controuersia oriatur, an pestis sit epidemica, atque sydenum influxu pendeat: an vero tantum contactu: siue immediato, siue per fomitem contrahatur: tum vero perpendendum; an sanctimoniales, & patres Carthusiani, & alij qui ab omni consortio segregati, sunt; lue inquinentur: nam si æque moniales, claustrorum septis inclusæ, peste corripiantur, atque eodem tempore omnes vrbis regiones inuaserit; epidemia censenda est: vti etiam si per eosdem dies, plures vrbes, & oppida pestis adorta sit, at si e loco in locum serpat, nec religiosi viri, aut moniales honores virgineo, professæ, peste immunes fuerint, vti in hac peste quæ Neapolitanos ciues exhausit, nec in sanctimonialium claustra adhuc, dum scribimus irrepsit: Romæ vero intentauit exitium: sed amantissimi Pontificis in populum studio præfocata languet: illustre, & conspicuum est, contagione eam suscipi, non ex astrorum influxu maligno fundi: quamquam constitutio tempestatis, & systhema cœli, vt lues facilius contactu vim suam passo imprimat, fauere possint: quod febres exanthematibus malignis horrentes ostendunt. Perpendenda vero sunt hæc quatuor in qualibet naturali actione concurrere: agentis fortitudinem, passi dispositionem, conta-

ctum

ctum passi ab agente, & moram agentis in passo; vt egregie Capiuaccius edisserit; in primis fortitudo in agente perpenditur, & iusta quantitas: nam à proportione minoris inæqualitatis, non sequitur actio: quæuis enim scintillula, lignorum struem non accendit, non quæuis aura tenuis, arbores commouet, ita nec quiuis halitus pestifer, in minimas particulas dissectus, inficit: pariter exigitur passi dispositio, non enim qui eosdem labores exantlarint, aut ardores exceperint, vt librat docta lance Galenus, morbos contrahunt: quare vt alexiterijs muniti impune venena hauriunt, cum alij pereant; ita vidimus eos, qui alexipharmacis instructi, cum peste correptis illæsi egerant, vbi licentius egissent cum ijs, peste occubuisse; animaduersumque est ieiunos peste facile corripi, tum eos qui symbolicam temperiem cum ægris sortiuntur; aut cutis poros hiantes habent: vnde qui incaluere, à suspectis locis, vel commerciis maxime caueant: qui vero poros strictiores habent minus suscipiendæ pesti sunt obnoxii, plerumque enim per meatus insensiles irrepit contagium, modo per nares cerebrum, pulmones, & cor peruadit: modo per ora in ventriculum irruit, atque hepar, & venas inquinat, quid plura: modo inhærebit escis, & circum eas volitabit, & dum vitæ subsidium accipere arbitramur, pestilentiæ laqueos ori ingeremus. Tertio perpendendus agentis contactus, siue agat immediatione suppositi, vel virtutis, vt loquuntur philosophi.

phi. Quare mora agentis in passo aduertenda; nec enim manus leuiter circumducta per flammam aduritur, ita in suspectis infectisque locis mora trahenda non est, ne venefica labes vim suam imprimat. Cæterum aliquando agentis robur tantum est, vt licet quis nullum morbosum apparatum habeat, nec mora agentis in passo insignis vlla intercesserit, tamen pestis, internis externisque præsidiis alexiteriisque apparatissimos corripiat: quare Michael Sauonarola lib. de febrib. pestil. rubrica. 1. hoc documento nos informat *febris pestilentialis magis fit ex fortitudine agentis quam ex dispositione passi: in alijs vero econtra.*

De signis pestis.

CAP. VII.

GAlenus in libro definitionum medicarum, distinguit signa, in præterita præsentium, præsentium præsentia, præsentia futurorum, superuenientia præsentium, & superuenientia succedentium, quæ si institutæ de peste orationi accommodaueris: præterita præsentium sunt ea quæ imminentem pestem vel ex coniunctione syderum vel ex meteoris ignitis, quæ in aere incanducrunt, vel ex terræ & aquarum infectione velut serpentum, bufonum, ranarum, locustaurum, mus-

ca-

carum & aliorum insectorum subnascentium multitudine, portenderunt: ex qua vero coniunctione syderum signa pestis imminentis peti possint astrologi & medici inter se certant. Ioannesque Heurnius ex obseruationibus astronomorum medicorumque opinatur, lib. de peste cap. 8. formidandam cuique pestem, dum grassatur epidemia, eo tempore, quo luna eum locum cœli dimetitur cursu suo, in quo saturnus, vel mars, nascentem radiis suis lustrarunt cum humores in eo exagitari consueuerint, martis pariter & saturni, cum virgine & geminis coniunctiones vti etiam ecclipses signa pestis intulisse feruntur. sed hæc morosam disquisitionem efflagitant: ad alia signa, quæ in aere conspiciuntur digredimur. ignea meteora portendunt pestem cum aerem multo terreo halitu inquinari significent vt Gualtherius Bruelius anno 1575. circa nonam noctis pridie D. Michaelis obseruauit: grauiores etiam nebulæ horrentes æstuante cœlo, cum solaribus radijs solui nequeant ex calidi in humidum actione, concipiunt putredinem, vt busones interdum graui cœlo depluere visi sint: modo ex putrida pluuia in puluerem illapsa, busonum aliorumque insectorum multitudo pullularit: ac Plinius lib. 2. naturalis historiæ, cap. 25: censuit crinita sydera, venena fundere in capite septentrionalis austrinæue serpentis; dant etiam corrupti aeris signa volucres, cum e nidis diffugiunt, ac cœlum mutant, aquæ etiam interdum visæ putrescere, & pisces emortui ferale pestis

signum dederunt, e terra denique emergentis pestis signa terræ motus, & animantium quæ prono in terram capite prauos terreos halitus excipiunt, latæ strages, pestis omen intenderunt. Tempestatum repentina mutatio, calida & humida intemperies, dominantes austri, vt ait Galen. in comm. lib. 1. epid. & sect. 3. lib. 3. epidem. 1. æstiuæ pluuiæ, intempestiuæ, antecedentes febres mali moris horrentes exanthematibus, si passim grassentur in vrbe, inter epidemicæ pestis imminentis signa recensentur.

Præsentis pestis signa præsentia, sunt patogmonica, quæ nimirum vt Galenus explicat, præsentem affectum indicant: cum vero plura pestis signa sint æquiuoca; id est quæ cum alijs febribus putridis præcipue malignis sint communia; Hinc maxima inter medicos altercatio exoritur in principio, an pestis, an alia febris ægros inuaserit: prætera cum pestis modo humores, modo spiritus, modo ipsam cordis substantiam corripiat, hinc varia signorum discrimina emergere consueuerunt: cumque pestis causa, modo maiore, modo minore nocendi facultate polleat, nunc atrociora; nunc remissiora symptomata pariet; ipsæ etiam causæ inferentes pestem sunt variæ, ergo varios etiam ac dispares effectus impriment: adde causam pestis plerumque latere medicos, vt etiam eius signa cœcas hominum mentes fallant: ægrorum etiam idiosyncrasia summam varietatem pariter, cum ex bilis, sanguinis, melancholiæ, ac

pi-

pituitæ varia proportione, temperamentorum, varia discrimina oriantur. Varia denique pestium genera, varia symptomata pepererunt; nam modo cum spasmo, modo cum vomitu, modo cum dolore capitis, modo cum sputo sanguinis, modo cum bubonibus, modo cum glandulis, modo cum carbunculis, modo cum vesiculis, modo cum maculis nigris, liuidis, versicoloribus, modo cum pustulis miliaceis, ac feruentibus, modo cum erysipelatibus rubris, liuidis, viridibus, cinereis, fuscis, suum characterismum imprimit. In excretis etiam magna varietas visitur, nam modo ægri vermes insignis putredinis tristem fœtum egerunt, modo colliquatiua diarrœa diffluunt, modo vrinas perturbatas instar iumentorum, ob ingentem humorum agitationem, ac feruorem fundunt, modo aquosas, vt in Perside obseruabat Auicennas, modo citrinas, subalbidas, fuscas, rubeas, subrubeas, temperamenti cuiusque signa exprimentes, modo sanis non absimiles eiiciunt: modo ii anhelitum graueolentem efflant, modo nil graue spirant: adde modo ingenti ardore, siue causo cruciari ægros, modo lento calore confici, nec tamen infixa medullis pestilentiæ tela sentire, vt Almansor tradidit: nunc synochum, nunc hecticam, nunc synecheam, nunc tritæophyam, nunc hemitritæam, nunc ephemeram, rarè creditam intermittentem pesti coniungi: morbos etiam partium varios in peste subnasci; nunc enim dysenteria, nunc peripneumonia, nunc

 pleu-

pleuritide; nunc angina, nunc catharro præfocante, nunc phthisi, nunc vermiculo in corde marcescēte progenito ægros extingui. Deniq; peste correpti, nunc cataphora, & lethargo languent, vt velut mortui ad sepulchra adhuc viui deferantur: nunc vigilijs torquentur, nunc phrenitide laborant, nunc mente constant: nunc vix artus fessos mouent, nunc subsiliunt e stratis, & agros, & syluas citato cursu oberrant: nunc deliquijs cordis exanimari dolent, viribusque deficiunt, nunc pene integris florere videntur. Maxima etiam si morbi huius tempora dimetiaris varietas oboritur, nam modo principium, incrementum & status simul coniungi videntur, cum repentinam aliquibus mortem pestis inferat: alias vnius diei, vt Anglica, vel triginta sex horarum flexu, vt Veneta, superiori sæculo, nunc trium dierum, nunc quatuor, nunc quinque, nunc sex, septemue vel plurium circumscriptione sæuas periodos definit. Si tempestates quibus furorem exercuit attenderis; nunc ardente cœlo, nunc algente, nunc pluuio, nunc arente: nunc vere suos explicante honores, & humoribus a centro ad circumferentiam sese efferentibus, nunc autumno arborum comas decutiente, & humoribus a periferia ad centrum refusis: nunc sirio vomente flammas, nunc sagittario iaculante niues: itaque ex aeris adeo contraria diathesi, ac temperie futura varia pestis signa effloreſcit: ex qua varietate causarum, signorum antecedentium, assidentium, concomitantium,

 su-

superuenientium, consequentium multitudine, aliqui in eam abiere sententiam, nullum pestis patogmonicum signum, in eius principio dari: sed a consequentibus discerni. Nec vero bubones, carbunculos, nigraque exanthemata proponenda, nam cum signa hæc sint plebeijs obuia, & erumpant serius plerumque cum iam de ægri salute conclamatum est: cognoscenda pestis est in ipso principio, vt cum medicus peste correptum contigerit, se aduersus pestem communiat, tum alios ægros non inficiat, vel sanis cum quibus versatur, hausta pestis semina non allinat; *Tanta enim est* (inquit Fernelius) *signorum necessitas, vt his sublatis medicinæ fundamenta corruant*. Præterea cum pestis fama increbrescit, ac in paucissimis vasta in vrbe aliqui bubones, vel carbunculi, vel maculæ nigræ, aut vesiculæ eruperunt; decernendum mox est, an sint ij characteres certi pestis: an vero, vt alias in malignis febribus accidit temerè ex prauis, & cacoethicis humoribus, non tamen pestiferis ebulliant: nam si pestem adumbrarint, abrumpendum est commercium ne pestis semina latius diffundantur; ex leui enim scintilla maxima arsisse incendia constat: sin vero tantum febrium malignarum signa expresserint; percellendi non sunt terrore ciues; non sacra, & prophana commercia euertenda, non perturbandi reipublicæ ordines, nec puerorum instar, ad inanem pestis laruam pallore, & metu inhorrescendum *quid enim*, inquit seneca, *prodest mala*

accersere & præsens tempus futuri metu perdere pestisque iniecto fallaci metu patriæ pestem quodammodo euadere; nam multos luem veneream concipere constat, & aliquos ex ijs cum prauo humorum apparatu affluant, febribus continuis, vel malignis ob varios excessus corripi posse: cum ergo illi febribus tentabuntur: distinguendum est, an bubones ii venerei sint, an pestiferi: an vtriusque luis concretione horrentes. Vidimus etiam aliquos qui sæuiente peste ob equitandi laborem & bubonem & febrim contraxerint, ac pestis tamen immunes extiterint: maculæ nigræ non modo in laborantibus febre tantum maligna, sed etiam aliquando insanis, cum sanguis tenuis melancholicus, e venis in cute exsudat efflorescunt; sed cum alias etiam pestem intimo corporis recessu conditam significent, certa à peritis medicis ferenda est sententia, an eæ maculæ sint malignæ tantum febris stigmata: an explorata pestis indicia: nec improbo garritu reipublicæ pacem confundere, nec sæuas curarum tempestates in omnibus ordinibus concitare debent; at si in contrarias sententias inanis gloriolæ æstu abrepti medici, dum non tam indagare veritatem student quam illud arrogantis symbolum, *Nemini cedo* ostentant, distrahantur: optimi est principis tutiorem partem amplecti, in ea sententiarum aduersarum contentione, cum tutius sit timere quam improuida magnanimitate populos pestilentiæ stragi obijcere, *qui enim insidias timet, in nullas incidit*

nec

nec cito perit ruina, qui ruinam timet: semper enim metuendo sapiens vitat malum; præsertim cum Neapolitana clades, ex inconsulta & cœca magistratuum audacia fluxerit, Romanosque alienis malis sapere docuerit: ne bis miseri fiant, quos alienæ miseriæ ad eas auerruncandas non excitarint. Sed his missis, quid de signis pestis sentiendum sit decernamus.

Conclusio. Pestis in ipso exordio, ab exercitis arte medica, ex symptomatum syndrome, quamuis non semper eadem recurrat, cognosci potest: quantumuis intimo corporis recessu condita, neque cerni, neque sensu vllo percipi possit, non per bubones, qui nondum intumuerint, vel per exanthemata qui nondum eff oruerint, vel per carbunculos, qui nondum efferbuerint: ita Michael Sauonarola Bartholomæum Leonem, qui pleuritide laborare nonnullis videbatur peste correptum agnouit, cui tribus mensibus consequentibus sæuienti principium funestum dedit.

Probatur. Statuimus in primis cum Hippocrate, & Galeno morbos acutos statim extremos inferre labores, cum vero pestis inter peracutos malignitatis palmam cæteris præripiat, insigni malorum satellitio stipari statuimus. Secundo in malignis febribus, in ipsis principijs plerumque symptomaticas excretiones moueri, idque maximè, cum pestis ardere cœperit contingere, vt Hippocrates lib. 2. epidemior. sect. 1. textu 2. obseruat, dum pestilentiam, quæ Cranone viguit

de-

describit. Certa autem sunt eius oracula *eorum, qui statim morituri sunt celeres iudicationes fiunt, etenim labores celeres, continui, & vehementes, quæ autem bene iudicatura sunt non statim appareant; & iudicatoria non iudicantia, partim lethalia sunt, partim difficilis iudicationis*. Statuimus tertio, cum pestis epidemica sæuit, omnes morbos in pestem facessere non quod imbutæ ea opinione medicorum mentes hallucinentur, ceu oculus, qui per vitrum flauo tinctum colore; omnia flauescere conspicit, aut ignauus miles fugientem pecorum gregem pro hostili exercitu expauescit: sed quod experientia tristis id confirmet, veluti cum sporades morbi vigent deflagrare pestis epidemica consueuit. De contagiosa vero, quæ Romæ, ex Neapolitano commercio sæuire cœpit: ac Pontificis paterno studio, & trium Cardinalium curandæ populi saluti præfectorum laboribus assiduis, in ipso penè fomite præfocanda speratur, dispar sententia ferenda est: cum sporades morbi cum peste contagiosa vigere possint, atque ab ignaris, magna ægrorum calamitate, pestis suspicione perstringi. His ita constitutis, ex symptomatum, quæ incipientem morbum stipant concursu, pestis argumenta petenda sunt: nam si in morbi exordio suspectoque pestilentiæ tempore animi deliquia, & syncope præceps, intercidant, vel leuis sudor frontem ceruicemque suffuderit; pestem spiritibus insitam, vir peritia clarus prænoscet.

Si

Si cardialgia, capiti dolor, vomitusque citrinus prassinus: æruginosus, versicolor, nigerue ægrum infestarit: si excrementa graueolentia, biliosa, pinguia, aluo eruperint: si vrinæ conturbatæ, vel aranearum telis vel liquefacto adipi similia suspensa præferentes, vel nigram subsidentiam deponentes fluxerint: si appetitiua vis prostrata languear, ardeatque sitis: respiratio frequentior sit, ac fœteat, anhelitus difficilior, pulsus celerior, tensum diaphragma vel interiora ardeant: pestis humores exagitantis signa pronuncia. Sententiam hanc decretoriam confirmabunt extumescens in inguine bubo, vel subaxillaris tumor, vel parotis, vel erumpentes pustulæ exiguæ, aut carbunculi qua maiora repunt vasa accensi, aut efflorescentes maculæ, aut scaturientia vlcuscula, aut liuidus color membris suffusus, atque erysipelas referens, aut repente immutata admodum sit facies, vel flammei scintillent oculi, aut coma ægrum obruat aut spasmus conuellat, aut phrenitis torqueat, aut facultas motrix ignaue flaccescat.

Si denique pestis substantiæ cordis insederit: dignosci quidem ægrè illa potest nisi grassari cœperit: nam febris insidiosa ægrum conficit, calor mitis videtur nisi diutius manum quis presserit, nam tunc flamma acrior tactum ferit, pulsus sanis non dissimiles, paulo tamen celeriores & inæquales micant, vrina denique nullo peregrino colore tincta, non crassitie densior, non sedimenti copia, aut fœditate saturatior, at frequens animi defectio re-

currit, viribusque repente extinctis vitam inopinata cum morte commutant.

De bubonibus, qui in aliquot ægris terruere chirurgos, & medicos, an venerei, an pestiferi sint exorta controuersia, explodetur cachinno ab exteris: nam in primis buboni venerei, & pestiferi, & illius qui equitando laborique improbo insudando turgescit, summa est discrepantia: qui enim ex humorum repentino decubitu quos nimius labor concitauit, trium dierum flexu, conquiescente ægro, sine vllo grauiore symptomate euanescere consueuit; qui vero ex venerea lue conceptus est, sensim increscit, cum suspecta muliere congressus initus est, sed æger forte cœlibem vitam sanctimoniæque purioris honores professus, nunquam nisi tormentis ad veritatem exprimendam adduci poterit: ergo ex epigenomeni, sine circumstantijs coniectura elicienda est: si nullum vehemens symptoma, cum tumore in inguinibus oboriente efferatur, non vomitu succussus ventriculus, proluuiem flauam, viridemue, aut nigram excutit: (nam si nimio ciborum & vini pondere grauatus egesserit, nullius periculi terror impendet:) si vires nulla syncope concidant, nulla deliquia laborantem in vitæ anceps discrimen adducant, non appetitiua facultas marceat, non coma, non phreitis, non spasmus corripiat, non febris illum maligna perimat, non motrix facultas visa sit flaccescere, non sensitiua deflorescere, non circumstantes, non amicos familiaria præstan-

stantes obsequia, non medicum, non chirurgum, non placularem sacerdotem, non administros vlla contagione inficiat, venereo potius quam pestifero bubone is laborasse putandus est, cum nullam cum bubone pestifero analogiam sortiatur.

Cæterum pestifer bubo, quamquam venerei coniunctione infectus intumescat, symptomatum crudeli syndrome, a puro venereo discrepat, nam si detumuerit, repente perimit lætali veneno cordis arcem peruadente, vt multis exemplis & teste experientia constat: ac licet venerea infectione non careat, tamen pestis signa vt pote ferociora magis emicant, qui vero pestiferos bubones & venereos percurauit, inter vtrosque facile discrimen discernet: increscunt sensim venerei, pestiferi repente turgent: venerei initio nullum cient dolorem, pestiferi ingentem excitant: venerei diariam tantum febrem mouent, cum pus conficiunt, vel si putridam creent nullis grauioribus symptomatibus eam asperant, at pestiferi succedentes febri, symptomatico motu erumpunt, ac malorum cateruam minacem adducunt: suppurationis tempora in venereo sensim labuntur: in pestifero ob humorum feruorem ingentem, breuiore temporis circumscriptione definiuntur: adde demum pestifero buboni sæpe coniungi carbunculos, qui si eruperint simul omnis controuersia sopita est.

Circa carbunculos, quia in malignis febribus ebulliunt aliquæ vesiculæ, obseruandum, pestiferas

bullas inferre grauissimum ardorem ac pruritum, ac circumiectam carnem nigrescente colore inflammari: cæteras ignauo quodam modo ebullire; secundo: si pestiferæ conscindantur; nigra labe infectas esse; aut eam facile contrahere, inque crustosum vlcus quasi ferro inustum desciscere; alias vero rubore purpureo efflorescere; tertio symptomatum syndromem aliam in peste, aliam in malignis febribus recurrere; quarto carbunculos pestiferos nigro vel liuido, aut versicolore circulo cingi, & gangrænam interdum trahere. Denique temporis constitutio obseruanda est: nam si illa pestilentialis fuerit, fingi vix potest in constitutione pestilenti, non pestilentem esse carbunculum, vt Horatius Augenius lib. 8. de febribus cap. 6. obseruauit.

De maculis, quæ extimæ cuti suffusæ, vario colore inficiunt vel peste, vel maligna tantum febri correptos: distinguendum in peste, plerumque fœdiore colore plures ex atro liuescere; secundo in peste non extimam tantum cutem tingere, sed ad intimas etiam peruadere, quod in dissectis Neapoli cadaueribus in peste, quæ hoc anno MDCLVI. excurrente, vere & æstate infœlicem vrbem populatur, & cum ab Ambrosio Paræo in Parisiensi nosocomio obseruatum est; cæterum ex his aliæ malignæ tantum labis, vt pleræque Romæ nunc visuntur aliæ pestiferi veneni sunt participes.

At quia peste interimi nonnulli possunt in qui-

bus nulla exanthemata, nullæ maculæ nulli bubones eruperint, non vulgi opinioni continuo seruiendum est, dum iactat hosce iniquè pestis suspicione onerari, nam veneni vi extingui quispiam potest antequam natura vllam excretionem moliri posset: argumento erit si æger caput ceruicemque frigido sudore persusus, repente sine causa manifesta extinctus sit, vt in Cassalo accidisse Gentilis narrat, quare suspecto tempore liberiora cum ægris defugienda sunt commercia; omniaque symptomata inuicem conferenda, tum ipsa facies decoloratior liuidum pallorem referens, nec non oculi viuido splendore destituti, intraque suos orbes fugientes lucem, vel circum pallore obsiti, facultatis animalis peste labefactatæ, ac morientis signa primo aspectu præbuerunt; tum singularum facultatum functiones partesque corporis qua tandem sint affectæ labe percurrendæ, nam principes, memoria, intellectus, ratiocinatio, delirio aut phrenitide aut obliuione (vt in Attica peste contigit) confusæ erunt, aut veterni molestia oppressæ: facultas animalis, siue sensitiua, siue motrix admodum erit debilitata: vel enim somnos non carpet æger, ob acriores halitus in cerebrum irruentes, vel oculi refugient lucem, vel obsurdescet auditus, vel importunus tinnitus ex concitato flatu cruciabit aures, vel odoratus & gustandi facultates obsolescent, licet enim opiparæ dapes ingerantur ori, eas fœtere conquerentur quod fœtidi halitu, linguam membranam [illegible]

processus imbuerint: si iidem acriores, sint, ac ventriculos vrant, æger siti ardebit: motrix facultas languescet, nec enim mouere se facile loco poterit, nec lingua sermonem rectè distinguet, nec consistere quietus vno loco poterit, quod pestilens vapor musculosas partes vellicabit: vitalis facultas marcescet, & licet pulsus moderato non absimilis initio videatur, id tamen ex varietate materiæ, in ventriculis cordis contentæ & substantiæ cordis accidit, vt Galenus lib. 3. de præsagitione ex pulsibus cap. 3. edocet. *Nonunquam* (inquit) *percipitur in corde huiuscemodi pugnantia temperamentorum: nam modo frigidius visceris corpus æquo est, & in ventriculis contenta substantia calidior: modo e diuerso substantia frigidior, cor autem calidius, vbi etiam pulsus fiunt moderatis similes; nam medius quodammodo status hic efficitur ex duobus contrarijs conflatus, qui sanè affectus vel optimos medicos fallunt quod nunc quoque in maxima pestilentia accidit: quidam inde ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de natura, qui quidem præter cæteros perierunt, animaduertimusque eos primis statim diebus & pestilentia laborare, & pessimè affectos esse, ex acredine caloris, atque ipso caloris genere: denique quod pulsus, parum præter naturam immutati ijs in eo statu perpetuo inineant.* Hæc ille. At vbi venefica vis ingrauescere cœperit, pulsus & crebrior quam aucti caloris ratio eflagitet micabit: quinetiam noctu, crebritas siue celeritas mendax augetur,

tur, cum spiritus & calor, nocte ad intima se subducant: cumque propter debilitatem magnus esse nequeat necessitati crebritate obsecundat: insignis vero debilitas virium licet ea nulla insigni euacuatione, nec vigiliis nec doloribus exhaustæ sint, fallacem insidiatricemque pestem detegit, quæ in cordis palpitatione, lipothymia, vel syncope manifeste impetus, quos in cordis arcem immaniter imprimit, ostendet.

Spiratiua facultas sua etiam damna patitur, nam si plurima flamma, ob densam vaporum sese efferentium nubem cor excæstuet, ingens anhelitus trahitur: & si calor ingens non arserit, breuis & frequens erit anhelitus, & systole maior diastole: id est contractio pectoris maior quam dilatatio, cum tantæ aeris copiæ ducendæ causa non vrgeat, si porro anhelitus fœtcat, maximam tum humorum corruptionem indicat.

Pulmo etiam interdum tussi sicca lacessitur, dum vapores veneficos, quibus lancinatur, excutere tentat quam tussim Hipp. ferinam lib. 6. epidem. ob malignitatis sæuitiam vocat, ac Galenus in commentario ait esse cacoethea si a circumstante aere fiat, non vero si ex instrumentorum intemperie aut potus cibique asperitate oriatur: facultates quoque naturales prosternit pestifera vis, hinc inappetentia ingrauescit; cum hepar ventriculi chylum non exsugat; cum enim Plato hominem plantam appellarit, Galenus istius plantæ radices in ventriculo constituit, vt enim

ra-

radices arboris è terra succos trahunt, e radicibus truncus, e trunco rami, e ramis folia, & fructus succum proliciunt: ita e ventriculo hepar, per portam, ex hepate vena caua, ex venis singulæ partes succum deriuant: attractoria itaque facultate languente, languet appetentia: ac licet calidi & sicci penuriam patiatur ventriculus, vis tamen eius emoriens, damna non sensit: si affluat corruptus humor, nausea affligitur, plurimus vero vt affluat necesse est, cum alteratrix facultas, pestifera quoque labe debilitata, munus probe non exerceat: si exagitari humores pestifero turbine in stomachum influant, vomitus symptomatici consequuntur, vel si nerui sextæ coniugationis affecti sint, ex sympathia cum cerebro ventriculus vomitu tentatur, ob læsam facultatem retentricem: animaduersum est interdum in peste ventriculum singultu cruciari, qui spasmi genus est: interdum etiam intumescere, non aliter qnam qui hydropem concepere, nam flatu turgescit, obseruatum quoque lienem induteſcere, cum auctum succum melancholicum ad se rapiat: hepar etiam tendi, quod ab Auicenna fuit obseruatum 1 4 tertij: nec id cuiquam mirum videbitur, si perpenderit interdum pestem futuram causodea, phlegmonemque in partibus internis accendisse, ac tunc interna vri, cum eo sanguis & spiritus rapiantur, externa frigere. Sed de eo alias suis locis fusius iam ad læsam pestifero veneno expultricem facultatem digrediamur.

In excretis substantia, color, odor, qualitas & excretionis modus perpendi consueuerunt. Si substantiam deiectionum attenderis, colliquescentis pestifero ardore corporis humores deiici solent: nec raro ob putredinem insignem aluo exeunt vermes, vnde ab Hippocrate lib. 6. epidem. deiectiones terinæ vocantur; si colorem inspexeris, croceæ, virides, versicolores, sanguineæ fluunt; odor inuitos ferit, suoque fœtore putredinis horrorem indicat: quantitas effusa est; excretionis modus funestus, cum non leuet ægrum, sed vires eius deiiciat.

Vrina, cum perfuncta vehiculi munere, & ad reliqua deinceps inutilis e iecinoris conuexo secernatur, & trahatur in renes, vnde mox profundatur in vesicam, venosi generis statum exprimit. Si ergo turbida funditur, excitatæ a pestifera labe in humoribus tempestatis, aut imbecillis caloris, qui vrinam concoquere non potest, argumenta præbet: si liuida fluxerit, extingui natiuum calorem indicat: si cruda & aquosa manarit, imbecillem calorem prænuntiat, nec tamen salutem spondet, etiam si sana videatur, sed pestem humoribus non insitam arguit. Sudores, si fœtorem exhalent, humorum vitium ac labem demonstrant: si sponte in principio eruperint laborem ex Hippocrate significant; si frigidi diffluxerint, extinctum pestifera vi insitum calorem arguunt. De vomitu superius dictum est: sanguinis fluxus, si aluo proruperit, pestis horridam & effe-

ram vim indicat: quæ adeo retentricem facultatem labefecit, vt sceleratæ illius herbæ instar de qua Galenus ait veneficum ea data aliquos sustulisse, effuso per inferiora cruore, venæ sanguinem continere non possint. Si e naribus stillarit, tristè exitij omen affert, cum toties apud Hippocratem, in libris epidemiorum stilla sanguinis damnetur, nam praua & maligna suffusum qualitate, quæ naturam ad excretionem lacessat, eiusdemque naturæ imbecillem conatum ostendit. Ita omnia in malignis febribus symptomata contingentia perpendenda sunt: vt si plura ex iis concurrant, etiam si nondum stigmata, maculæ, exanthemata, bullæ, ecthymata, vesiculæ, vibices, aphtæ, carbunculi, bubones, eruperint, suspecto pestilentiæ tempore, pestis latentis insidias, salutiferi exploratoris instar patefacere possimus: quod longè facilius cognosci poterit si finitimam prouinciam pestis inuaserit.

Obijciet quispiam. Signum pestis illud esse quod describit Hippocrates 3. epidemiorum maximè proprium, cum morbus plures inuadit contagione sui, & iugulat: id vero ex euentu tantum cognosci.

Secundo non cognoscere medicos pestem, in principio experientia confirmari; nam teste Ioanne Baptista Gemma in lib. de vera curandi bubonis atque carbunculi pestilentis ratione, superiore sæculo cum pestis Patauium Venetiasque inuaderet, certabant contrarijs sententijs medici, quan-

tumuis bubones etiam erupissent, eosque pestilentes non esse passim disceptabant. Græcij pariter in Styria archiducales medici, cum iuuenis peste interemptus esset, inter medicos, ardentes pugnæ exortæ sunt, litemque tantum eventus diremit. Ita his ipsis diebus Romæ inter medicos vrbis primarios, magna contentione certatum est, num pestis Neapoli in Transtyberinam regionem inuecta esset, donec serpente malo ex certis characterismis pestis, nimirum carbunculis & bubonibus & efferа symptomatum syndrome confirmatum est, minus falli qui in re ancipiti mala prædicunt: nam si virorum peritiam contulisses non cedebant aliis peritia, qui fausta omnia vrbi præsagiebant.

Respondeo: non omnia pestis signa vniuoca in singulis peste laborantibus enitescere, sed interdum æquiuoca, nunc plura, nunc pauciora emicare: imo interdum nulla: nec in internis nec externis partibus prodire, cum prius oppressa sit natura, quam aliquam excretionem moliretur: ex circumstantiis tamen & grauitate symptomatum, a perito medico, qui alias peste laborantes viderit agnosci posse, vt magistratus præmoneat, quo pias excubias pro salute publica indicant: & si aliquod erroris periculum coniunctum est, in ferenda sententia, satius est, in re leui falli, quam in grauissima, & falsa salutis sponsione lenocinari male credulis, ac rempublicam incautam funestæ contagionis facibus ardere: ex euentu vero, vt certiora petuntur signa si malum latius grassatum

fuerit: ita malè colligitur contagium non fuisse inuectum in vrbe, si in ipso fomite fuerit magistratuum solertia præfocatum: nam si de peste epidemica agatur, eam plures omnino inuadere, & iugulare certum est, cum aduersus aereas impressiones, qui ijs excipiendis obnoxij sunt, vix se communire possint: at in ea peste, quæ contagio serpit, potest illa vnius priuati familiam infecisse, atque in eadem extingui: ne in reliquam vrbem flammas euomat: non aliter quam cum scintilla ingens paritura incendium, repente vbi primum emicat, obruitur. vt ergo ignis, natura sua vrit, non tamen naturæ suæ proprietate exuitur, si materiam subductam non vrat: ita nec contagiosa pestis, quæ vnius ædis, aut plateæ, aut vrbanæ regionis limitibus non erupit, ob vetitum cum infectis commercia, pestis nomine orbanda est: licet populi nullam insignem stragem ediderit, aut alias sine vlla pestis suspicione plura longè funera ciuitas luxerit; nam etsi plures feralem pestis immanitatem non senserint, horrendas tamen strages illa editura erat, nisi magistratuum diligentia nascentem pestem in ipsis incunabulis elisisset: ex his agnosce O Roma quantum paternis Alexandri VII. curis debeas agnoscantque finitimæ prouinciæ quantas pastor optimus pro amantissimi gregis salute excubias intenderit, sileantque ingrati qui publicæ salutis assertæ beneficium accepisse, profiteri dedignantur.

Respondeo ad secundum, ex his exemplis esflorescere, cognitam fuisse à peritis pestem, licet non ita euidentia signa forent, vt dubium omne submouerent; quod postea aliquarum familiarum sequutæ strages, & tumidi bubones, & ardentes carbunculi, & exanthemata non tantum maligna, sed etiam pestifera discusserunt: nec obest si cum peste contagiosa, morbi sporades, & exanthemata tantum maligna appareant: vt vero Galenus refert morbos ab ijs facilius agnosci, qui sæpius ægros tractarint, non aliter quam amicos ex gressu, & membrorum conformatione vestiumque cultu licet obuertant ora, eminus agnoscimus: ita qui in funesta pestis tempora alias inciderunt, & cum peste correptis egere, ex symptomatum syndrome, quamuis nondum pestis omnia sua signa explicuerit, pestem possunt agnoscere: quantumuis, alij qui pia, sed cassa vota pro salute publica fundunt, rectè sentientibus obluctentur: denique ita probè cognosci potest, vt aliquando a clarissimis medicis detecta fuerit, trimestri interuallo, antequam tristem funerum pompam lugubresq. quadrigas oppletas cadaueribus per vrbem circumferret. At aliquos in contraria sententia publicum illud ægritudinum iustitium, & fœlicia medicorum otia obfirmarint: verum adeo miseri mortales sumus, vt ipsa nobis suspecta sit fœlicitas, vt enim momento temporis tristia ibi fiunt naufragia, vbi paulo ante blandum, & fallax mare arriserat, ita ex alto valetu-

di-

dinis culmine in sepulchri præcipitia plerumque repente abripimur; Ab excelsa doctrinæ specula occinit Hippocrates *optimi habitus periculosissimi*, Quod non modo verum esse in ijs, qui athletico habitu excellunt, & in extremos morbos irruunt præcipites, compertum est: sed etiam, cum sporadibus morbis euanescentibus, in vasta vrbe publica valetudine vniuersi potiuntur: non aliter, quam ante ingentes, ac repentinas tempestates, quædam silentia seruant venti, quæ adeo peritis nautis suspecta sunt, vt velorum sinus non ad tenues, & emorientes auras excipiendas pandant, sed contrahant; ne conglobato mox turbine mergantur: cuius rei si causam quispiam exquirat, hæc nobis occurrit. Fieri non posse videtur in vrbe referta populo, quin plures ex intemperato victu, morborum semina conceperint: cum ergo vere ineunte, ac media æstate morborum cateruæ proscriptæ videantur, existimandum est, huiusmodi homines in quibus morborum semina in actum non erupere, æstiuis ardoribus exsuscitata, flexuque temporis cumulata ferales morbos extrema æstate, vel ineunte autumno paritura: nam propterea Hippocrates, lib. 6. epidem. sect. 1. text. 13. autumnales morbos ferinos appellauit cuius rei causam in libro de natura hominis sect. 3. in luce collocat *æstate* (scilicet extrema; nam in prima adhuc sanguis dominatum tenet) *bilis in corpore attollitur, & in autumnum protenditur, at per autumnum modicus quidem sanguis*

guis gignitur, quod illius naturæ aduersetur: bilis autem æstate, & autumno in corpore obtinet. Probat illud Hippocrates ab effectu, nimirum plura biliosa, & vomitu, & purgatione excerni: ergo argumento est, bilis, copiam affluxisse in corpore. Præterea autumnus vesper anni est, vt idem Hippocrates, & Galenus obseruarunt; quippe dies cum anno analogiam habet: vt ergo vespere excandescere morbi: ita autumno efferari consueuerunt: qui ergo nascentes vere, morbi salubres extitissent, nam sapientissimo naturæ exploratore teste, vere morbi saluberrimi fiunt, quod ex sanguine humorum mitissimo, tunc affluente oriantur: nisi maligna tempestatis constitutio solitam veris clementiam asperarit: ergo cacochyma corpora, quæ morborum latentia semina, in extremam æstatem, autumnumque circumtulerint, ingentibus morbis corripi necesse est: cum prauam labem ab æstiuo ardore humores colligant, propterea que exanthemata, veluti pestis prælúdia in nonullis effloruisse conspecta sunt, atque ex Neapolitana contagione pestiferæ scintillæ aliquæ in Transtiberina regione exarserunt, sed infœlix omen diuina pietas auertat. At institutum de signis pestis sermonem repetamus: In viuentibus interdum, nulli certi pestis characterismi inscripti cernuntur; in confecto tamen corpore, tristia furoris sui trophæa aliquando pestis imprimet, proptereaque vt superstitum prophylaxi detur opera, extinctorum suspecto tempore cadauera diligenter inspicienda sunt, num in extrema

ma illa vitæ mortisque lucta exanthemata nigra, liuida, versicolora, stigmata, bullæ, phymata, carbunculi, bubones, parotides, erysipelata eruperint, vel num aliqua alia pestis signa veluti ater & liuidus color, ora vel alia membra obscurarit: quippe dum anima corporeos artus regit, humores pariter regere putanda est, vbi vero vi morbi, statione corporea pulsa est: humores, illius soluti imperio, innatos subalternæ formæ impetus sequuntur: proptereaque aliqua signa noua, latentis pestis insidias indicatura exarant, vel si ambigua extiterint, principis vel magistratuum iussu secantur cadauera a chirurgis, quos antidotis probè communitos esse decet: & si maculæ ab extimis partibus in intimas excurrant eæ merito hoc suspecto tempore inter ferina pestis signa reponendæ sunt: vt eximius confector Ambrosius Pareus. lib. de peste edocuit: ex labeculis vero, vel abscessibus, aut phlegmone hepatis, vel lienis, vel renum vel ventriculi, vel pulmonum, vel etiam cordis aut atro sanguine in eo concreto certa pestis signa peti nequeunt, cum alij etiam morbi sæuitiæ suæ altissima vestigia in partibus internis defigere consueuerint: Monuimus vero communiendos alexiterijs chirurgos, nec tractanda temerè cadauera cum falsa sit, Rondeletij sententia, peste extincta peste non inficere: nam si ve aduertit Franciscus Alphanus vestis quæ cadauera contigit per modum fomitis, pestem in alia transfundat, quanto magis ipsum pestis domicilium

lium contagij discrimine non careat: cæterum concedimus extincta corpora non ita iaculari pestes, vt viua, cum natiuus calor emoriens continuum illud substantiæ effluuium insensile fundere desiterit, vt antea probatum est. cap. de contagio.

De pestis prognostico.

CAP. VIII.

PEruulgatissimum est Hippocratis oraculum lib. 2. epidem. tristi confirmatum experientia peste correptos plures emori, quantumuis exquisitissima præsidia summo ingenii & artis molimine fuerint adhibita: inter pestes autem varias eæ potissimum præsentem mortem inferunt, quæ insitos cordis spiritus tenui halitu venenato corrumpunt: nam quæ iuuerint remedia ab oriente extremo petita? qui lapides belzaartici? qui smaragdi? qui saphiri? qui hyacinthi? quæ gemmæ? quæ aromata? quæ pretiosa animalium spolia? aut rhinocerotis cornu? aut alcis vngues? aut onager indicus? quæ angelicæ, gentianæ, bistortæ, carolinæ, radices? quæ alexipharmaca ex omni vtriusque orbis thesauro, & chimicorum sudoribus confecta prosint, cum tam effera est venenatæ auræ impressio, vt citius perimat quam remedia

hæc expediri possint: Si enim febrium aliquæ sunt adeo graues, vt quantumuis reuiuisceret Hippocrates, vel omnis medicorum principum senatus vocaretur, eludant humanam industriam, quanto magis pestis infixos cordi spiritus corrumpens, medicas manus respuit, nisi quis ad illius impetum propulsandum prophylacticis præsidiis idoneis fuerit antea communitus: vt enim Galenus lib 3. de præsagitione ex pulsibus ait *remedium eius putredinis, quæ cordis substantiam inuasit comparari non potest*. Si influentes spiritus contaminentur, venefica labe, proximum etiam periculum lethi impendet, cum facili deliquio cor langueat, atque ex vitalium spirituum clade animales ita flaccescant, vt vnius diei flexu ægri confici soleant: minoris periculi terrorem intentat pestis, quæ humores inficit, crebras tamen neces parit, licet aliquot dierum interuallo sæuitiam distulerit, nam vt Hippocrates obseruat sect. 2. aph. 19. *acutorum morborum non omnino certæ sunt prædictiones neque mortis, neque sanitatis, acuti morbi non modo celeriter iudicantur sed statim etiam magnitudinem habent* in extrema verò commentarii calce causam cur medicum in errorem inducant illustrat *istud fit propter subitam in iudicatione permutationem, quæ naturam humorum morbificorum sequitur, quia nonunquam humor noxius ex vno loco transfertur ad alterum*. Cum vero in peste siue epidemica, siue quæ per contactum, vel fomitem suscipitur, venefica labe contaminati sint humores, hinc

fit

sit quod monet Mercurialis, crises in peste maxime formidandas, ex humorum quippe subita metastasi ægri perire consueuerunt: ac longe satius expetendum est vt sensim ad maturitatem perductis abscessibus venefica labes per resolutionem expiret; nec ex repentinis excretionibus vllæ spes possunt concipi, cum ante coctionem nulla excretio bona esse possit *etenim* (inquit) *Hippocrates eorum qui statim morituri sunt, celeres indicationes fiunt, scilicet labores celeres, continui, vehementes: quæ autem iudicant in melius non statim apparent* rationem affert Franciscus Valesius, in commentario *tanto* (inquit) *minus bona sunt, quanto citius fiunt, tanto enim maior irritatio, & naturæ impotentia significatur, atque adeo & si possint aliquando parte mali succi euacuata vtiles esse, tollere tamen morbum nunquam possint* ita si maculis aspersa facies visa fuerit: si cibum æger auersetur; si excreta a communi naturæ more desciuerint: si vomitus atrabiliarius, porracens, æruginosus extiterit: si fluxus colliquatiui, & pingues: si graueolentes sudores, si anhelitus difficilis & fœtidus: si vrinæ perturbatæ, vel colliquescentis pinguis substantiæ signa dederint: si mox rapta in cerebrum materia phrenitidem pepererit: si crebras lipothymias intulerit, de ægro conclamatum arbitrare. At quid iuuat, inquies, mortem laboranti peste prædicere nisi illam auerteris. Respondeo non inutilem hanc prædictionem; cum medicus desperata corporis salute, imperet ecclesiasticis sacramentis

animam quantocyus procurari: teterrima enim illa omnium pestis est, quæ animam cum corpore necauerit: nec inania sunt prognostica cum ex illis medicus, ad leuandam malorum molem se comparet, quorum aliqua praxim, alia theoriam magis spectent. Spectant ad praxim phlebotomiam mox in morbi principio, non in progressu celebrandam: si tamen celebranda visa fuerit, nec progressum morbi dierum numero, sed motus celeritate metiendum: quare Galenus in commentario sectionis tertiæ lib. 1. epidemiorum inquirit cur Critoni pestiferis phlyctænis in pede laboranti, sanguinem non detraxerit, respondet: iam in progressu morbi vocatum quamquam flectente secundo die extinctus sit, nam summa celeritate admouenda sunt in peste præsidia. Si bullæ etiam nigræ extumuerint prauum admodum signum est, vt de eodem Critone memorat Hippocrates, nec tantum spectandus decubitus humoris in longinquas partes, sed etiam vtrum omnis venenatus humor, in easdem incubuerit: quippe de Critone in commentario Galenus hæc aduertit: naturam quidem à partibus principibus annisam deriuare in crus materiam vitio infectam, quam cum integram pars non exciperet, tum quod superfuit recurrisse in caput, atque in insaniam maniacam inuexisse, cum illa maligni moris esset.

In bubonibus, carbunculis, parotidibus, & exanthematibus hæc perpendenda: Si eruperint

subi-

subito, atque symptomata remiserint, spem salutis affulgere: & licet tumor, materiæ prauæ molem indicet, expultricis tamen facultatis robur indicat. Si itaque bubones, in acumen elati, perducantur ad maturitatem, victricis naturæ triumphos spondent: sin vero euanuerint, licet æger conualuisse videatur, repente occumbit: exemplum insigne est apud Paræum in illustri fœmina, quæ Caroli X. aulam exterruit; cum pestifero bubone detumescente repente extincta est, dum salua, & incolumis putaretur: qui sub axillis extumescunt periculum graue minantur, & arte in longinquiores partes reuellendi. Parotides si in morbi fine turgescant spem salutis præbent, adeo, vt Cassius 30. problematum medic. eas appellauerit dioscouras, & cum geminis Castoris, & Pollucis syderibus quæ naufragis salutem pollicentur compararit, omnique arte, vt in tumorem assurgant, & maturescant enitendum est, vt dicetur inferius: tamen in principio obortæ graue, & lætale discrimen intentant. Circa carbunculos certatur an plures, an pauciores magis exitiales sint, an robur naturæ, an materiæ multitudinem significent: nam Galenus 5. meth. 12. eos conualuisse asserit, quorum corpora carbunculis interstincta fuissent: depulsa scilicet in extimas partes, atræ bilis fæce: at in ijs non tantum multitudo spectanda est, sed num æger illa facilius ferat: num circumiecta pars, varios colores referat, omnes enim humores putredinem insi-

gnem conćepisse arguunt; & raro quisquam conualuit, qui prauitatis huius signa dederit. Propterea color, tum in bubonibus, tum in carbunculis, tum in exanthematibus perpendendus: nam ruber minus exitialis, cum sanguinem putrescere significet, citrino niger, liuidus, viridis, ac versicolor deteriores sunt. Hæc etiam Hippocratis oracula lib. 2. epidem. commemoranda *abscessus optimi si infra morbum fiant, & si ex superioribus partibus ad inferiores demittantur: præsertim vero optima sunt, quæ ad inferna, & infra ventrem maxime, & quam remotissime a morbo* id est morbum suscipiente parte principe abscedunt. Si e carbunculis, & bubonibus serosa tantum sanies atra fluxerit, vel illa exaruerit, de ægri salute actum est. Si etiam fungosa caro succreuerit: aut gangræna repserit: natiuus partis calor extinctus est. Si pulmonem & diaphragma carbunculi obsederint, viginti quatuor horarum flexu, non sine maxima spirandi difficultate æger perimitur.

Facultatum etiam omnium functiones attendendæ: nam si appetentia omnino prostrata fuerit, deterrimum indicium est, sollicitandique sunt amantissimis hortatibus, & condimenti acetosi lenocinio ægri, vt generose cibos deuorent. Sanguis siue paucus stillarit naribus, siue pulmone expuatur; siue aluo manarit: profligatæ salutis argumentum est: fluxisse viris ex æmorrhoidibus, ex vtero fœminis profuit. Si altior somnus peste

labo-

laborantem opprimat, prauum signum est: cum a perisæria corporis centrum repetat venefica labes. Si a somno labor vexatit: id cum malignis febribus commune est, lethique vestigium. Si halitus fœtorem spiret; iam non medico, sed vulgo notum lethale signum refert Galenus. Potentiæ motricis debilitas, & lipothymia frequens, phrenitide in qua vires constant deteriores: visi enim phrenitici, qui cum per auia diu noctuque oberrassent, demum fessi laboribus placidissimos carpserint somnos; pristinámque valetudinem recuperarint. Tristissima vero omnium est illa phrenitis ferina, in qua rabidus æger proprias carnes discerpit, cuius rei triste exemplum est apud D. Greg. dial. 4. cap. 16. in eo qui cum ostensa per ecstasim cœlestia arcana aperuisset, tertio post die manús, & lacertos sibi dentibus laniauit.

De prophilaxi adhibenda a principe deque dato orbi ab Alexandro VII. optimi pastoris, & principis exemplo.

CAP. IX.

NOn sine eximio candore pura & verax antiquitas ex Homero Reges *pastores populorum* ap-

appellabat, tūc enim pastorum munus, cum dignitate implent, cum non turpi fuga suæ saluti consulturi; in auia se subducunt: improuidumque & pauidum gregem pestis horrendæ lanienæ exponunt, sed clarissimos triumphos populorum salutem arbitrati pro ea asserenda suæ non pepercerunt. Raro huiusmodi phoenices cernuntur orbe: sed fœlix Roma Alexandrum VII. nacta Pontificem, iam horrendas clades, ciuium suorum funestata strage lugeret: nisi ille paterna studia incredibili solertia ad scintillas ex Neapolitanæ pestis incendio volitantes extinguendas contulisset: Persoluent grates numini seri nepotes, de admirando illius in Romanum populum paterno studio, vtque pauca e multis ad sequuturarum ætatum memoriam, & commendationem delibemus: mox atque certior factus est ab internuntio qui Neapoli pontificiæ beneuolentiæ & voluntatis apud proregem interpretem & ecclesiarum siciliæ citerioris excubitorem agebat, pestilentiæ facibus Neapolim ardere, indoluit paulo, serius rem grauissimam sibi delatam, ac mox vt optima consilia pro salute publica expediret, vocato sanctiore senatu, equestres turmas pedestresq. ad ditionis ecclesiasticæ limites proficisci cum suis tribunis ductoribus, ac prætoribus iussit, ne qui ex Neapolitano regno solita inituri commercia, in agrum Romanum pestis semina imprudenter illaturi irreperent: equestres etiam manipulos in maritimis oppidis distribuit, dimittique equestres leuioris armaturæ excubitores

res

res iussit qui littus Campanum effuso cursu percurrerent, obseruarentque ne qui profugi cymba vecti, exscensione in terram facta, pestem inferrent: omnem etiam literarum tabellariorumque accessum inhibuit: nec terra modo, sed etiam mari exploratrices naues omni bellico apparatu instructas excubare imperauit: ne quis nauclerus e suspecta ora ad terram applicaret: instituit nouum senatum in quem ex purpuratorum patrum ordine, ex prælatorum, & iurisperitorum numero, ex patritiorum Romanorum familijs, ex medicorum & chirurgorum collegijs, sapientia clarissimos adscripsit: vt singulis diebus de causis quæ ad publicam salutem asserendam propulsandumque pestis contagium spectant cognoscerent: ex eo senatu sapientissimæ manarunt leges: in primis, quia nonnulli Neapoli in vrbem irrepserant, ex quibus aliquos pestis semina circumferre potuisse censuerunt, non miserorum odio, sed publicæ salutis causa sancitum est proposito capitali supplicio, bonorumq; proscriptione intentata, vt qui ab ineunte maio (aprili vel, martio decreuisse tutius erat) Neapoli in vrbem accessissent, magistratui, quem publicæ valetudinis præsidem dixere se sisteret: Paruere ferme vniuersi, atque in honestis ædibus suburbanis collocati sunt, vt se ab omni pesti suspicione perpurgarent: infimæ tamen sortis Neapolitanus pauciue alij pestis semina aduecta Neapoli condidere: cumque in transty-

berina regione primum erupissent: infecti ab alijs segregati sunt: tradita est flammis supellex quæ contactu fœdata visa est: & damna priuatorum publico auro sarcita; Obiectæ popinarum, stabulorum diuersoriorumque magistris grauiores pœnæ, ne quem sine publica magistratus syngrapha exciperent tecto, vel commeatu iuuarent: obstructæ sunt minus necessariæ vrbis portæ, in alijs extructi clatri adhibitis militaribus excubitoribus, vt suspectis in vrbem accessus occluderetur: ne aeris salubritas, sordium fœdo halitu inquinaretur: viæ, fora, compita, angiportus, repurgari iussa, nec quid proiici graueolens, quod tristi aura prætereuntes afflaret imperatum, distinctis vrbis regionibus præfecti medici, & chirurgi, qui suspectos contractæ luis ægros inuisant, ijque non suspectos inuisere prohibiti, & virgas candidas præferre iussi: ne suo consortio alios forte contaminent: Delecti viri sapientiæ opinione florentes, qui singulas ciuium lustrarent ædes, ac singulorum nomina, ætatem, sexum, artem, referrent in commentarios, atque alternis diebus sciscitarentur, num quis aduersam valetudinem contraxisset: tum etiam ædes singularum insularum numeris appictis consignatæ, ne cuiuspiam ægritudo, aut mors magistratum lateat: vetiti capitalibus edictis medici, chirurgi, barbitonsores, pharmacopolæ sine venia prætoris vrbani, eiusque chirographo consignata, Roma discedere, prohibiti

biti Iudæi, & veteramentarij, vllas res vſu detritas vænales exponere: tranſtyberina regio, in qua primum peſtis Neapoli tranſuecta nidum fixerat intempeſta nocte adhibito maximo artificum numero, clatris circumſepta, vel anguſtiæ viarum excitatis repente muris occluſæ: in ſingula vero ciuium incluſorum capita, viritim commeatus a ad vitam ſuſtentandam diſtributus; apertum in inſula lycaonia noſocomium, omni ad rem medicam apparatu ornatiſſimum; excubiæque militares hinc inde diſpoſitæ, ad popularem tumultum compeſcendum: ſi quis peſtis ſuſpicione perſtrictus, mox iudicio medicorum ad noſocomium amandatus: quia tamen noſocomij mentione, plerique honeſti viri, & matronæ horrerent, mutatæ ſunt leges, & qui commodè domi percurari poſſit, domi hærere permiſſus: noua etiam noſocomia longo locorum interuallo diſſita excitata ad ægros perſanandos inſtituta: quia etiam ex agro Romano in Vrbem ruſticani varijs impliciti morbis confluere ſoliti erant, in ſuburbanis alia noſocomia, ad ægros chriſtiana charitate excipiendos fouendosque erecta: ne vero ex mortuorum cadaueribus expirans fœtor aerem inquinare poſſit, deuecta lintribus cadauera in remotiorem locum ſacra luſtratum prece deferuntur: & ſuperiecta calce obruuntur. At quia Hæbræi, qui circumcurſare vrbem, & quiſquilias vndique corradere, ac refectas diuendere miſeris ſolent luis in-

 cen-

cendium latius spargere potuissent: occlusis eorum apothecis, publico commercio interdicti sunt: & aditus vndique muniti, ne exeant impositis nonnullis quos inferendorum commeatuum cura tangat: sartores ne veteres pannos attingant reficiantue prohibiti: gymnasia occlusa; & musæ silere iussæ: indictum iudicum tribunalibus iustitium: exceptis leuioribas causis ciuilibus, ac aliis pernecessariis: conciones sacræ, solemnes supplicationes, celebres piorum conuentus, aliaue augustiora sacra consortia penitus sublata, & quisque priuatim cœlo preces iussus transfundere, concentus, qui in re diuina ex variorum vocum discrimine temperati, magnam populi multitudinem sua dulcedine pellicere, & inuicem stipare solent interdicti. Collocata summa diligentia, vt vndique ex locis non suspectis vrbi commeatus inferantur: denique consultum, vt ex frumento optimo panis conficiatur, augeaturque pondere; nam vt Galenus obseruat, ex frumento situ obsito, vel vredine infecto interdum pestes incruduerunt. His, & aliis legibus, quæ ex amantissimo Alexandri VII. pectore ceu paterni amoris ara, consilii fonte, sapientiæ arce manarunt stat hactenus incolumis Roma etiam ardente sirio, spesque egregiæ futuræ incolumitatis affulgent.

De

De prophylaxi priuata aduersus pestem, & propulsandæ expirationis veneficæ arte.

CAP. X.

TRia ad auertendam pestem, atque in publica calamitate salutis decerpendam lauream, sanxere medici: mulcendam nempe aeris intemperiem, vel declinandam: vel insidentia tenuibus corpusculis pestis semina remouenda. Secundo apparatum humorum ad ea excipienda accomodatum exhauriendum: tertio naturæ robur, ad pestilentes impressiones infringendas confirmandum. Circa primum in memoriam reuocandum est, aut calidam, & siccam, aut humidam,&calidam intemperiem impressam aeri, aut maligno halitu, & vapore, aut occulta praua qualitate inquinatum iri: si calida, & sicca fuerit intemperies, declinandum æstum, deliniendumque omni arte effloreſcit; nam in ea peste, quæ Græciam depauit Theucydidis tempore, ij periere, qui in humilibus tuguriis solis ardore perusti erant: rationem vero hanc reddit Galenus. cap 4 lib. 1. de differentis febrium *calidiores* inquit *aeris circumdantis nos constitutiones, quales circa ortum*

cani-

caniculæ fiunt, maxime per inſpirationem, cor repente concalefaciunt, cumque non tantum per os trahamus aerem, ſed ille etiam omnibus partibus corporis circumfuſus ſit, atque ab arteriis micantibus ducatur: inde fit, vt cor nimium calorem concipiat, atque aduſtus ater humor ad gignendos carbunculos comparatus ſit; propterea Auicennas, & Villanoua in cubiculis aſpergine aceti, & aquæ temperari aerem, inſterni ſolum pampinis, floribus herbiſque ſuaueolentibus præcipiunt, atque Ioannes Heurnius balnea aquæ dulcis media æſtate commendat. Si quis obiecerit Villanouam à Mercuriali perſtringi, cum ignis: vt optimum ad expurgandum aerem præſidium etiam in medio æſtu celebretur: reſpondeo cum Heurnio cap. 8. de peſt: ignem quidem ſi peſtilentiæ ſemina inſperſa exiſtimentur ad ea diſcutienda præſtantiſſimum; at poſtea effuſa cubiculo poſca linteiſque madentibus, & irroratis frondibus, ad frigidiuſculas auras excitandas colligendaſque, permulcendum: nam ex ignis æſtu, augendam magis intemperiem calidam, & ſiccam, quæ contraria eſt mitigandá eniteſcit, quo tempore nimio motui temperandum, tum æſtus declinandus eſt, ac feneſtræ, quæ Auſtrum ſpectant occludendæ quarum vero proſpectus in Aquilonem patet pandendæ: qua arte Marcus Varro in Corcyræ inſula cum ſæuiret peſtilentia, ab eius ferocia incolumem ſe aſſeruit. Diſpar ratio erit, ſi humida, & calida fuerit aeris intemperies, nam tunc ignem

ad absumendam humiditatem, quæ fomitem putredini erat suppeditatura, summam vtilitatem allaturum, Hippocratis experimento constat: vt refert Galenus lib. de theriaca ad Pisonem: *Hippocratem illum multis modis admirandum laudo, qui luem illam ex Aethiopia Græcos inuadentem, non aliter curauerit, quam aeris mutatione alteratione que, ne talis amplius inspiraretur: cum igitur ignem per totam vrbem incendi iussisset, non simplicem lignorum materiam, verum serta floresque suauissimos alimentum ipsius esse consuluit, & odorifera ipsis superfundi, vt aerem purum hoc modo redditum homines in mali subsidium respirarent.*

Si aere ferantur pestilentiæ semina, siue a tetro, & venefico telluris halitu, siue putrido lacunarum vapore siue inquinato ex infectis corporibus effluuio, quod pestis semen Ficinus in epidemiarum antidoto cap. 1. ita describit. *est venenosus quidam vapor in aere concretus, vitali inimicus spiritui, non quod propter elementarem aliquam qualitatem sibi contrarietur, sed specifica quadam proprietate; non tamen, vt secundum formam sit venenum, sed vt quæ facile in veneni naturam transeat.* Ad submouendum hunc vaporem omni studio incumbendum est: At inquies hic sensum latet, ac ne in districtos gladios incurrat cœcus quocumque se conferat expauescit: fateor pestem instar inuisibilis teli vitalia transfigere, nec magis tutum in vrbe peste laborante, quam inter scorpiones, ac serpentes illæsum versari: tamen non spernen-

das

das veterum temporum experientia confirmatas obseruationes. In primis ergo tradunt non aperiendas fenestras colligendumue externum aerem, nisi sol radiorum amœnitate illum perfuderit, ad tenuandum enim soluendumque pestiferum vaporem solares radios plurima vi pollere compertum est: cum propterea in terræ altissimis visceribus vapores, & halitus venenatam contrahant putredinem, quod nec mulceri solis radijs, nec libera aura perflari possint, ædes ab omni sordium genere, ac fœtore vindicandæ affectanda in vestibus mundities, ac lauendulæ, & rosarum flosculi pannis insteruendi, cum suffitu odorifero inclusus cubiculis aer, præcipue fracto in occasum sole condiendus, vel ex iuniperino ligno, & baccis, cuius vim eximiam expertus sum, vel folijs, & baccis lauri, vel tenui aurantiorum, & limonum cortice, vel ipsi integris malis aurantijs prunis ardentibus iniectis, vel odoriferis herbis, thymo, pulegio, tymbra, satureia, maiorana, melissophyllo, roremarino, lauendula, saluia, calamintha, ocymo, & alijs igni aspersis, vel aceto rosaceo lateribus ignitis affuso, siue ex rutæ, & maioranæ frondibus caryophyllis, & rosis rubris, siue radicibus angelicæ & caryophyllatæ, & zedoariæ paratum sit. Vel succinum aceto albo, & aquæ rosaceæ incoque.

Vel ℞. Sandalorum drachmas tres cinnamomi drachmam, corticis mali citrij frusta aliquot cyathum aquæ rosaceæ, semunciam aceti in olula im-

impoſita igni admoueantur.

At quia ea quæ facile parantur, contemptui patent, & ſæpe ea plures exambiunt, quæ exquiſitiore lenocinio comparanda ſunt: ſuffitus formulas ex odorato vapore vel fumo ſuaueolenti accipe

℞. cortices limonum, & aurantiorum, caryophyllos aliquot macera aqua ex aurantiorum floribus elicita, vel aqua roſacea, vel vtraque permiſta; grana duo muſci, vel ambari adiice, atque vaſe igni admoto fragrantem nebulam concitabis.

Trochiſci etiam finguntur in ſuaueolentem fumum abituri ℞. ladani, & belzuini ſingulorum drach. iij ſtoracis calamitæ ſeſquidrachmam, moſci gran. vii. reſinæ pini ſemunciam, redacta in puluerem, gummi tragacanthæ in aqua roſacea in muccilaginem ſolutæ excipe, & orbiculos concinna prunis ad ſuffitum ciendum iniiciendos.

Vel ℞. thuris, maſtiches, & roſarum ſingulorum drachmam benzuini, galangæ ſingul. drach. tres, exceptæ therebinthina in trochiſcos fingantur. Cypriæ etiam aues, aut candelæ, aut in varias animalium figuras diſtinctæ formulæ, quæ concepto igne ſuaueolentem fumum efflant componi poſſunt.

Accipe carbonum ſalicis in tenuiſſimum puluiſculum comminutorum vncias duas, belzuini drachmas vi ladani vnciam, caryophyllorum drachmas dua, reſinæ pini vtriuſque, muccilaginis tragacanthæ in aqua naphæ ſolutæ quantum ſuffecerit: ex his ſo-

R lerti

ferti industria permistis formulas conficito, ac siccari finito.

Vel ℞. Ladani, styracis calamitæ, benzuini singulor. drachm. duas, myrrhæ, thuris æquis partibus drach. i. rad. angelicæ scriptulos duos gran. iunip. semunciam, therebinth. drach. sex, pulueris caryophyl. semunciam, carbonum tiliæ quantum sufficit, coeant omnia in vnius molis concretionem cum muccilagine tragacanthę in aqua naffæ facta, ex qua candelæ ducantur. Vel hunc puluerem compara:

℞. ligni iuniperini vncias tres, baccarum iuniperi semunciam, lauri vnciam, corticum aurantiorum tantundem, succini, thuris, myrrhæ, styracis calamitæ, benzoes singulorũ semunc.

At odoriferæ huiusmodi nebulæ vi histericas percelli animaduertendum est, & qui operosam hanc suffitus conpositionem desugerit, thus, vel myrrham adolere poterit. Inquiret quispiam, qua vi polleant hi suffitus ad pestilentiæ semina depellenda, an non ea corpusculis aereis semper inhæsura sunt?

Respondeo plurima vi pollere, ad ea profliganda; nam in primis cum fumus nil sit aliud, quam densa atomorum nubes, in quæ combustæ res soluuntur, illa atoma, seu physica, seu moralia in varia pariter atoma, aerea corpuscula, vel mixta putrida, seu miasmata aere volitantia conscindunt: Vnde in varias particulas dissectus aer ille qui venenatam labem, & effluuium pestiferum

contraxerat, nocere non potest: nam agentia, vt vim suam exerant, certa magnitudine debent esse prædita: ita ignis in minutissimas particulas sectus, nec lucet, nec vrit: qui vbi mutua cohæsione molem sibi peperit, vim sopitam repente exsuscitat, vti cum è silice excutitur valido ictu, vel è conglobatis atris nubibus, aqueis partibus ad aqueas, igneis ad igneas concurrentibus efflorescit. Secundo odorata, & salubris illa nebula, quæ aerem cubiculo inclusam perfundit, in ea corpuscula venenata vim suam imprimit, veneficamque intemperiem abolet, iuuat propterea florum serta, herbarum suaueolentium fasciculos, mala cydonia, aurantia, & citria in cubiculis tenere, cum ex his suauis vapor spirare consueuerit.

At quia tristi ædium carcere continere, nos facilè non possumus, atque in publico versari cogit necessitas, ne pestiferum hauriamus aerem, vel tacitum, & latentem hostem medico armati præsidio propulsemus: adnitendum est. In primis egressuri ædibus faciem, & manus aceto rosaceo, & aqua naphæ abluant: caryophyllum, aut cinnamomi frustulum ore teneant, aut aliquid diamoschi, vel lætificantis Galeni, aut triasantali libent, vel trochiscum sub hunc lingua teneant.

℞. zedoariæ drach. ii. rad. angelicæ drach. xylaloes, cort. citri, cinnam. sing. scriptul. macis semiscriptulum sacchari vnc. ii. cum gummi trag. in aqua rosacea soluto, trochisci fiant. Pauxillo theriacæ, vel mithridati, vel alKermis narium specum

illinant, præferant manu, citrium malum caryophyllis, & cinnamomi assulis interstinctum: aut pyxidem in suprema parte variis pertusam foraminibus, in qua spongiola iaceat imbuta, duabus partibus aquæ rosaceæ, vna vini maluatici dimidia aceti; cui zedoaria infusa fuerit; adiecto exiguo musco, circumferant naribus admouendam. Tutius est, si quid periculi instet linteo alexiteriis imbuto nares, & ora vndique obstruere.

℞. Aquæ rosaceæ, aceti corticum citri, & radicum angelicæ vncias tres, caryophyllorum, nucis myristicæ, cinamomi, xylalois, santali citrini, theriacæ galenicæ singulorum drachmam: hac permixtione linteum, aut sericeus purpureus pannus perfundetur.

Si quem pila ex varia aromatum concretione, & lenocinio delectet, concinna est formula, quam Ambrosius Paræus lib. 11. cap. 13. docet.

℞. rosarum rubrarum, violarum singularum drachm. iij. baccarum myrti, & iuniperi, santali rubri singul. drachm. duas & dimidiam, benzuini drachm. caphuræ scriptulos duos redigantur in puluerem.

Postea ℞. olei rosacei, & nenupharini singulorum semunciam. styracis calamitæ drachmas duas aquæ rosarum sufficientem quantitatem liquefiant simul cum cera alba, ac ceratum confice ad comprehendendos memoratos pulueres cum pistillo calido, vt in globum concrescat.

Vel ℞. Ireos florentinæ, maioranæ, calami aromati-

matici, ladani, benzuini, radicum cyperi, caryophyllorum, theriacæ, sing. drachm. moschi gr. iv. & cum muccilagine tragacanthæ in aqua naphæ parata, pila componatur.

Vel ℞. Xylaloes, styracis calamitæ, myrrhæ singulorum sesquiscrupulum cinnamomi caryophyllorum, nucis myristicæ singulorum gr. x. moschi gr. v. ladani quant. suff. cum aceto è calamo aromat. fiat globulus.

Vel ℞. Ladani vnc. duas, belzuini semunciam, styracis calamitæ drach. vj. ireos florentinæ semunciã caryophyllorum drachm. iij. maioranæ, rosarum rubrarum, calami aromatici singulorum semidrachmam: redacta omnia in puluerem cum aqua rosacea ebulliant, & percolata affundantur ceræ albæ, quæ liquefiet sufficienti quantitate, adde styracis liquidæ vncias duas, atque in cerati modum comprehendantur pulueres pistillo calido: demum moschi gran. ii. pila delibuta conformetur.

Vel ℞. Laudani purissimi drach. duas rad. ireos drach. pulu. caryophyllorum nucis moschatæ, cinnamomi singul. semidrach. caphuræ gr. x. olei stillatitii rutæ gutt. vii. olei angelicæ gutt. v. caryoph. gutt. iii. expressi è nuce myristica semidrach. moschi, zibethi, ambræ singulorum gr. iii. cum muccilagine tragacanthæ soluti in aqua rosacea pila odorifera componatur. Si quis vereatur ne calidis aromaticis, nimium accendantur spiritus.

℞. omnium santalorum, rosarum, violarum, nymphææ, maioranæ singul. drachmam, coriandri

vn-

vnciam, caphuræ scrupulum excipe tragacanthæ gummi aceto rosaceo diluti muccilagine, & globum concinna.

Præferunt nonnulli odoriferis huiusmodi pilis spongias madentes aceto bezoartico aqua naphæ, & rosarum temperato, paratur verò ex plurium florum, herbarum, radicum, corticum, baccarum, atque aromatum alexiteria vi pollentium infusione.

℞. rosarum rubrar. manip. iiii. florum calendulæ, orminii, rorismarini, stœcadis singulorum pugil. fol. scordii, melissophylli, ocymi, dictamni, mari ana manip. dimidium: radic. angelicæ, mei, imperatoriæ, caryophyllatæ singul. semunc. baccarum iunip. & lauri singul. drachm. vi. corticum citriorum drach. duas xylaloes, zedoariæ cinnamomi, galangæ, caryophyllor. macis singul. drachm. caphuræ semidrachm myrrhæ drach. duas infunde aceti albi acerrimi libris sex, ac radiis solaribus exponito. Præstantissima est huius aceti vis, siue regulis candentibus aspersum fumum concites, siue mixta aqua rosacea vultum irrores, siue naribus admoueas, nam illius vapor venefica corpuscula aëre volitantia celerrime immutat, penetrat, incidit, dissoluit. Vt non sine causa Lucianus referat Toxarim Scytham medicæ scientiæ gloria florentissimum, Athenas grauissima peste liberasse cum acetum, ac vinum per vrbem fundi imperasset.

Quid plura? aures gossypio oleo amygdalarum dulcium, & rutæ, vel angelicæ guttulis aliquot delibuto

libuto obstruendæ: cor verò, & carporum, temporumque arteriæ, linimento alexiterio perungenda. sunt nonnulli, qui ad hæc omnia theriaca sola vino generoso, aut aceto, & aqua rosacea diluta vtantur, alios alia delectarunt, Zacutus lib. 4. prax. histor. cap. 28. hoc linimentum celebrat.

℞. Seminum mali citrii, ossis è corde cerui, ramenti cornu monocerotis, succini albi, santali rubri, rosarum sing. semiscrup. olei rosacei, & viol. singul. drach. ol. naphæ drachm. duas, confectionis alchermis drach. aceti rosacei paulum, & cordis regio inungatur, cui sacculum odoriferis floribus, & aromatibus refertum, certisque areolarum interuallis intersutum superimponendum censet Ludouicus Mercatus lib. 7. cap. de febre pestil. Sed de huiusmodi periaptis dicetur inferius, cum non modo ad propulsandum aerem venenatum, sed etiam ad corroborandam vitalem facultatem, vsui sint.

Habenda etiam est summa vestium ratio, nam quæ abundant vellere, miasmata, siue corpuscula viscida venenum continentia facilè suscipiunt, nec ita perflantur aëre: quæ verò sunt glabræ, & depilatæ, ac pressius textæ, vel vndulis crispatæ, minus ea corpuscula retinere possunt; vel si fortè inhæserint, leui aura impulsa alio rapientur: nam id mirùm contingit sæpiùs, vt quis incolumis pestilentiæ semina circumferat, atque alteri perituro afflat: infans, qui lac ex nutrice peste extincta suxerat, alteri nutrici pestem afflauit, ac licet peste

mo-

morientis lac hausisset, euasit incolumis, vt retulit Ioachimus Camerarius.

Diximus verò viscidítatem aëreo illi corpusculo inesse, nam reipsa mixtum est, substantia scilicet, quæ sine sensu ex venenato corpore circumquaque effluit, vel ore expirat; propterea defugienda sunt sæuiente peste hominum consortia, ac loca, in quæ multitudo conferta prouolat.

Si verò necessitas compulerit cum aliquo, qui infectionis suspicione laboret, secunda aura aucupanda est, quæ aerem in infecti ora rapiat, atque etiam Ioannes Heurnius ora ab alloquente äuertere iubet. Cùm te receperis in domum suffiendæ erunt vestes ligni iuniperini, & foliorum, baccarumque lauri, vel thuris myrrhæ, styracis, florumque, sulphuris puluere prunis iniecto, quę quidem ex quercino, & abiegno ligno, libero, & aperto aere, non autem præfocato confectæ fuerint.

De morboso apparatu subducendo, ne pestis semina fortuito excepta sobolescant.

CAP. XI.

PRophylaxeos, secunda pars in subtrahenda materia concipiendæ pesti idonea, sita est. Probatur illud ex Galeno lib. 1. de differ. febr. c. 4.

vbi causam cur hi peste prosternantur, alii stent integri, & incolumes, refert in varias corporum diatheses, quorum alia prauo humorum apparatu collecta pestis semina foueant, in alijs verò materia ad putredinem conipiendam idonea desit. *Cogita quomodo vtraque corpora affici sit necessarium, ab eo quem inspirant aere pestilenti. An non rationabile est, illa quidem statim à prima inspiratione principium putredinis sumere, ac plurimum in malo procedere? quæcumque autem munda sunt, ac superfluitatibus carent, nonulla quidem nihil, nonulla verò minimum mali sentire, ac facilè ad naturalem habitum redire.* Ex hoc axiomate, Galenus practicam conclusionem elicuit, cum pestifera constitutio aeris appetit, *quæcumque corpora, quæ humoribus superuacaneis affluunt perpurganda*, quæ verò non abundent cacochymia, sed intemperie humidiore, vel sicciore fuerint prædita, ad contrariam temperiem reuocasse: Si qui verò obstructionibus laborarent; eas reserasse, viscidosque, & glutinosos humores abstersisse testatur. Confirmat illud illustris ratio, nam vbi plura redundant excrementa materia putredini concipiendæ parata est, ergo subducenda illa sunt, ne quis fomes idoneus pesti, alendæ in corpore lateat, quod verò affluentia humorum sit pestilentiæ concipiendæ materia, probatur etiam ex Alexandro Tralliano serm. 5. cap. 96. agente de peste. *Quidam febricitare incipiunt, ex magna crudorum humorum collecta copia*, præterea Hipp. 6 lib.

epidem. hanc pronunciat sententiam.

Quæcumque inceptos morbos curant, si antea fiant illa custodiunt, ne à morbo arripiantur: Sed purgatione peste correpti curantur, ergo ne corripiantur peste, corpora sunt perpurganda, humorumque proluuies eluenda.

Consensit Auicen. lib. 4. sen. 1. tract. 4. cap. 1. *Oportet*, inquit, *vt extrahantur à corpore humiditates superfluæ*. Denique Razes, & Arabes, tum Græci, vt Ruffus, qui de peste commentarios edidit, atque ex eo Aetius minuendam humorum molem pronuntiarunt.

Aduertendum autem medicamenta valida omninò defugienda: nam cùm humores nimium exagitent; ac dissipent spiritus, repellendo aeri venefico necessarios, eos qui huiusmodi pharmacis communiti existimabantur, citiùs peste correptos: atque adeò si quis cacochymia ingenti laborarit non vno pharmaco valido haurienda simul erit humorum sentina, sed per epicrasim repetitis vicibus paulatim educenda: idonea verò sunt hæc lenientia.

℞. Tamarindorum semunciam pruna num. 6. flor. borraginis, buglossi singul. pug. 1. fiat decoctio in aqua borraginis quant. suff. in colaturæ calentis vnc. iiij. dissolue mannæ electæ vnc. iii. crystalli tartari semidrachmam fiat potio.

Vel ℞. pulpæ tamarindorum à seminibus mundatorum drach. iiii. pulueris agarici trochiscati semidr. cassiæ recenter extractę vnc. i. cum sacch. fiat bolus.

Vel

Vel ℞. florum casiæ recenter extractæ vnc. i. specierum pilular. de tribus specierum hieræ simplicis singulorum semidrachmam.

Vel ℞. Sennæ drach.iii. semin. carthami mundatorum drach.i. agarici trochisc. scrupulum, iuiubarum, sebesten prunor. singul. nu. vi. semin anisi scrupulum, hordei mundati, florum violar. & buglossi singul. pugil. fiat decoctio in sufficienti quãtitate aquæ fontis: in colaturæ vnc. iv. infunde rhabarbari scrupulos iv. spicæ ind. gran. x. inque expresso diligenter succo, dissolue syrupi rosacei solutiui vnc. iii. misce, & fiat potio. Pilularum etiam Alephanginarum, aut Ruffi de quibus inferius ad drachmam saluberrimus est vsus.

Cæterum pro cuiusque temperamenti ratione, diathesi præsenti, vel habitu variantur pharmaca: siue in hoc magis pituita, in alio biliosi humores: in alio chymi melancholici: in alio omnes ex æquo fuerint hauriendi, obseruatq. Victor Trincauellius in comment. in i. fen. iv. Can Auicen. tum Venetijs, tum Romæ tripheram persicam à semuncia ad vnciam ex descriptione Mesues in pestilenti constitutione fuisse celebratam, quam etiã Galli, Hispani, Batavi, & Germani medici in peste commendarunt. Hactenus de purgantibus prophylacticis: quod ad phlebotomiam attinet, mouetur lis, an ad prophylacem, siue præcautionem pestis pertineat. Ambigendi causa hæc est, peste correptos admota phlebotomia plerumque interire: igitur si in curatione morbi noceat, ad illius

auertendi rationem non spectat. Secundo ad pestilentiæ semina excipienda videtur apparatior futurus, quia viribus imbecillior: tertio pestis sæpè ex prauis succis in corpore ebullientibus pullulat, vti Galenus docet, sed qui prauitate humorum affluunt, phlebotomiam non ferunt, nam tum pars præstantior, quæ humorum prauitatem mulcebat elicitur, & maior humorum prauorum residua pars, instar indomiti equi effusis habenis furit in corpore, illudque in sepulchri præcipitia abripit: vt in malignis febribus constat. Quarto pestis ex calidiore, & ficciore aere, interdum incandescit, atque effuso sanguine, siccam intemperiem augendam efflorescit: Si verò vt Fernelius censet ex maligna qualitate ab astris effluente accendatur, ad eam propulsandam phlebotomia vires non auctura, sed labefactatura est:

Concludo, Phlebotomiam ad prophylacticen, siue præcustodiam pertinere. non omni tempore, non in omni pestium genere, sed tum, cum ex calidiore, & humidiore aeris intemperie pestis eruperit, atque in ijs corporibus, quæ vel sanguinis copia redundant, vel obstructionibus laborarint: nec ratio tempestatis dissenserit Probatur primo Galeni authoritate, & methodo, nam ille appetente pestilentia, quam ex tempestatum constitutione præuidebat, præuidendamque à sapiente medico Hippocrates exigit, humorum sarcinam è corporibus detrahebat, uon tantùm autem excrementitios succos, sed etiam sanguinis copiam immi-

minuendam aduersus Erasistratæos æmophobos, eleganter illustrat. Probatur etiam Aetii serm. 5. cap. 95. authoritate: qua vtrumque euacuationis vniuersalis genus, in præcautione pestis complexus est. *Respicienda (inquit) sunt etiam studia hominum, an non ad sanitatem conducant: & ea prohibere. Ventris quoque cura habenda est: Si verò superior venter pituitam habuerit, vomitu euacuetur, quibus autem sanguis abundat, his vena secetur.* Confirmat superiora Rhases in Commentario eleganti, quem de peste, in qua exanthemata, siue variolæ, siue petechiæ in extima corporis periphæria efflorescunt conscripsit, inquit enim cap. 4. *vena secari debet præsertim in pestilenti aeris statu, qui antea fuerit indicatus, quum febris orta, & morbi notæ apparuerint; detrahetur autem sanguis, annos natis quatuordecim, minoribus cucurbitulæ imponendæ sunt*; sed in his quoque, magna cum vtilitate venam secari recentiorum experientia comprobatum est.

Probatur secundo ratione, efferuescit sanguis, & putredinem concipit, tempore calido, & humido, quare Galenus lib. 2. de temperamentis hæc habet *vno tantùm è temporibus mutato malum fuit*: (De Crānoni pestilentia loquitur, cum tempestas calida & humida euasit) *quod si duo triaue sint mutata, aut etiam totus annus calidus, humidusque fuerit, necesse est magna pestilentia succedat*, hi verò sunt ad pestem suscipiendam apparati, qui sanguine plurimo affluunt, & obstructionibus laborant:

ergo

ergo dempto sanguine, & liberatis obstructionibus; quæ fumos acriores in corpore retinendo, ad putredinem humores apparant, minus erunt obnoxii pesti. Probatur tertio experientia, nam sæpe animaduersum est, eos qui peste latius in iuuenes, ac in eos qui viribus, & sanguine florere videbantur grassante, sanguinis sarcinam deposuerant, vt vniuersum corpus facilius perspiraret; pestilentiæ furori se subduxisse: testes sunt experientiæ, Galenus dum loquitur de peste asiatica lib. de cucurb. & scarific. cap. 20. & Rhases 3. contin. tract. 13. c. 2. & lib. de pestil. c. 6. Ludouicus Septalius lib. 5. de peste c. 14. Vaezius lib. de epid. pestil. c. 4. Guinterius Andernac. lib. 2. de peste, & alij de quibus Petrus Forestus lib. 6. obseru. 15. *Antiqui si corpus sanguine abundabat, venam secabant, vt corpus minus pestem susciperet:* nunc contraria argumenta diluamus.

Respondeo ad primum peste correptos plerumque phlebotomia adhibita interire, non quod humorum redundantia phlebotomiam non indicet: sed quia contraindicans: nimirum virium inopia, ac periculum, ne venenata qualitas citius in cor penetret, eam prohibeant, quare Aetius serm. 5. hæc pronuntiat: *Nulli talium sanguinis ablatio, citra maximum detrimentum fieri solet, etiam si euacuatione indigent; imo neque venæ sectionem, neque purgationem ferunt; qui etiam citra hæc derepente animo concidunt* repentinam scilicet virium imbecillitatem, coniungi cum peste

ste sæpe vidimus: par autem ratio non est cum quis vegetus, redundante humorum copia phlebotomiam tolerat, cæterum in aliquo pestilentiæ genere, veluti in petechiali, & alio, in quo vires non ita collabuntur, summa cum vtilitate in ægris sanguinem detrahi, Rhases inter veteres, atque e recentioribus Ludouicus Mercatus, & Massarias lib. 5. c. 24 & alii docuerunt. Sed de his controuersia recurret; certum autem est quod si peste laborantem phlebotomia curet, ad eam præcauendam adiumento sit.

Ad secundum respondeo non omnes viribus imbecilliores ad pestem contrahendam apparatiores futuros: nam senes plerumque illi minus sunt obnoxii, cum scilicet e feruidiore sanguine emerserit fusoque sanguine iuuenes ad propulsanda pestis semina alacriores futuros, licet ad exercendos motus, & exantlandos labores imbecilliores videantur: nam etiam in tuendis viribus seruandus est modus: quippe anceps, & fallax est summa virium exaggeratio; in præceps enim facilè ruit: & ratio ab Hippocrate eleganter adducta est aphor. 3 sect. 1. boni *habitus qui ad summum peruenerint periculo pleni sunt: non enim in eodem manere, & conquiescere possunt, cum ergo in melius proficere nequeant, superest, vt deficiant in peius*: in his ergo, qui nimia humorom copia abundent adhibendam phlebotomiam, parcam tamen: ne spiritus nimium exagitentur, vel eius vice hirudines ano admouendas decernimus.

Ad.

Ad tertium respondeo si pestis famem, siue prauorum ciborum vsum subsequatur distinguendum nam diuites lauto, & opiparo victu vti potuerunt, dum inopes prauo vterentur; ac tum ex fame incandescente pestilentia huiusmodi diuitibus phlebotomiam, si plethoræ suspicio non absit profuturam: in iis vero, qui prauo victu, ob annonæ penuriam sustentati fuerint, phlebotomiam ob virium imbecillitatem rectè prætermittendam: cum etiam nec mediocria pharmaca tolerare possint, quantumuis prauis succis redundent, vt Galenus lib. 4. de sanitate tuenda *si bonus sanguis exiguus sit, reliquus vero succus plurimus vtique in his abstinendum a detractione sanguinis est, sin is quidem exiguus, sanguis verò copiosus, audacter incidenda vena est*; idem & lib. de curandi ratione per venæ sectionem cap. 6. & 9. egregiè distinxit; ita in hydropicis nemo prudens sanguinem detraxerit, nam licet, qui detrahitur sanguis illaudabilis fuerit, tamen grauissima noxa affici ægrum necesse est: cui residuæ vitæ opes licet tenues, & exiguæ ereptæ fuerint.

Ad quartum respondeo. conclusionem nostram eo argumento non labefactari, nam si pestis ex intemperie calidiore, & ficciore exarserit. phlebotomiam non consulimus in ijs, qui ad siccitatem inclinant: nam primum nouimus obseruasse Hippocratem, in aphoristicis senten ijs ob intemperiem calidam, & siccam, *sub cane, & ante canem, ancipites ac molestas esse medicamento-*

rum

rum operationes, secundo Galenum consuluisse libro 1. de differentiis febr. *Aduertere diligentissime oportet, ex qua maxime potentia ægrotare contingat; deinde corporum dispositiones, tam quæ eidem consentiunt quam quæ aduersantur considerare, illud pro comperto habentes, quod quæcumque consentientes sunt facillimè læduntur: contrariæ autem, ac renitentes, quantum viribus, ac magnitudine contrarietas valet, tantum inuictas perdurare contingit.* si ergo animaduerterimus calidiorem, sicciorem que aeris intemperiem labefactare corpora; tum certum est, non exiccanda magis phlebotomia corpora; nisi in aliquibus plethoræ suspicio vehemens extiterit: nam prophylaces siue præcautionis summa ars, in hoc sita est *princeps, & communis in omnibus is est scopus, vt excrementis maximè vacuum, & perspirabile corpus seruetur, secundus ordine, vt aduersus prædominantem causam omni contentione certetur; at quibus contraria insunt, hi celerrimè capiuntur, & maximè laborant.*

At excrementitiorum humorum sentinam non semel hausisse sufficit, sed quia victu quotidiano trahitur, propterea certis interuallis redundantes succos depellendos periti consuluerunt: inter hos Ruffus curandæ pestis gloria celeberrimus, pilulas certis dierum interuallis deglutiendas commentus est, quæ ob effectus præstantiam, etiam ab Arabibus summis encomiis celebratæ fuerunt. Auicenna enim lib. 4 fen. 1. tract. 4. cap. 5. prophylacticis aduersus pestem præsidiis

hanc coronidem imponit, *& de medicamine facto ex aloe, & croco, & myrrha; sumatur omni die circiter drac. 1. quoniam est innuatiuum;* meminit eiusdem pharmaci ex Ruffi monumentis, Paulus Ægineta libro secundo, capite 36. sed croci vice ammoniacum subrogat *vtendum*, inquit, *propinatione, quæ aloes partibus duabus, ammoniaci, thymiamatis partibus totidem, myrrhæ parte vna constat: hæc simul in vino flagranti læuigata dimidio quotidie cyatho propinantur: nescio inquit Ruffus, an quispiam hac potione vsus pestem non euaserit.* Meminere eiusdem medicaminis Aetius, & Oribasius obseruandumque a Græcis; ita componi, vt ammoniaci, & aloes singulorum partes duas, myrrhæ vero partem vnam, ac læuigatas, dimidicq. cyathi vino dilutas propinent, at Arabes partem vnam aloes, croci, & myrrhæ partis vnius tertiam sumunt, atque in catapotia redigunt, de cuius medicamenti præparandi vario discrimine, hæc addit victor Trincauellius in comment in 1. fen. 4. can. Auicenn. *Equidem non possum nisi summè laudare medicamentum siue hoc siue illo paretur modo, nam leuiter, & facilè purgat, & corporis extraneam humiditatem siccat, & a putrene mirificè defendit:* laudat etiam idem medicamentum Alexander Massarias lib. 5. cap. de febr. pestil. *hoc medicamento scimus Curtium virum nunquam satis laudatum, infausto illo anno M. D. XXVIII. familiariter vsum fuisse, & maxima cum ægrorum vtilitate* hæc ille, distinctio

ta-

tamen adhibenda est, nam si ex ficciore, & calidiore intemperie, pestis incanduerit: minus aptum hoc medicamentnm; vti præstantissima vi pollet cum ex humida, & calida intemperie pullularit: nec singulis diebus vnius drachmæ pondere, vt vult Auicennas; sed tum maximè, cum aluus segnius sese exonerarit, reliquis diebus, vel intermittendum, vel dimidiæ drachmæ, aut scrupuli pondere sufficerit: nam si cui liquida aluus fluxerit, absurdum est, eam pilulis hisce lacessere, cum theriacæ vsus magis profuturus sit, atque adeò Ioannes Heurnius lib. de peste hæc habet *infusa trium remediorum nobilissimorum vindices sanitatis pono nimirum vt ter quis in hebdomade vtatur illis pilulis pestilentialibus quas mox descripsi; ita vt drach pondus hoc est coronati pondus singulis septimanis absumat*. Auxit vero ille earum compositionem hac formula.

℞. Aloes Zocotorinæ semunciam, myrrhæ drachmas duas, croci scriptulum vnum, ammoniaci drachmas duas, caphuræ scriptulum, confice cum vino aromatico: sumantur cum cocleari macerata syrupo ex citreis: quippe aloe corpora emundat, myrrha putredinem arcet, crocus spiritus exhilarat, ammoniacum ichores humidos depellit, caphura perfrigerat, vniuersá siccitatem saluberrimam corpori adducunt.

Ad prophylactica etiam euacuationum remedia aduersus pestem reuocantur fonticuli, quibus natura singulis diebus scaturientia in corpo-

re excrementa tertiæ coctionis detrudit, nec ingentem eorum copiam concipiendæ putredini, ac pesti idoneam congeri patitur; vidi enim eos qui vlceribus in brachijs, & cruribus armati, colluctabantur, vt ita dicam cum peste, dum lue correptis præberent obsequia, facilius euasisse incolumes, quam alios qui pati hæc vlcera, virium robori præsidentes contempserant: & si aliquos ob miasmata siue inquinamenta, e corporibus pestifera venena spirantibus, peste feriri contigisset, de pestis sæuitia triumphasse: cum illi qui nullis inscripti vlceribus erant, miserè occumberent, ex quo constat; iis maximè qui prauis succis circumfluunt, fonticulos brachiis, vel cruribus inurendos. Laudantur ii à veteribus, & recentioribus, ac præter Heurnium cit. lib. Zacutum in praxi hist. lib. 4. c. 28. insigne est Petri foresti ad equitem auratum testimonium lib. 6. obseru. 15. *cauteria* (antiqui) *cruribus, vel brachijs adhibebant, vt malæ superfluitates quotidie per ea expurgarentur, & multi fuerunt; ita præseruati, qui & cadauera mortuorum ferebant, nam & illi qui vlcera antiqua habent, quemadmodum, & chirurgus, qui hoc tempore pestis in nosocomio ægros curabat, minus afficiuntur*. Obiicies imminere periculum, ne huiusmodi vlcera, venenata aura afflata luem concipiant, nam partes cute denudatæ, facilius veneno afficiuntur, vnde aliqua venena veluti canis rabidi non afficiunt, nisi cuti sauciata sit, vt Fernelius eruditè perpendit. Respondeo si expone-

nerentur aeri pestifero, equidem facilius veneni vi inquinatum iri, sed cum idoneo tegmine, ac superimposita ærea laminula muniantur, pestiferi aeris iniuriis non patere.

At si ad excrementa materiem pesti subiectura, e corpore depellenda cura intendenda est, non minus in diætæ ratione temperanda, ne qua excrementa fomitem morbo huic ferino præbeant, medica industria efflorescit. Galenus humanæ mortalitatis contemplatione defixus hoc pronuntiat oraculum *duplices sunt genericæ lesionis, & corruptionis corporis nostri causæ, aliæ quidem necessariæ sunt & congenitæ; quæ ex ipso generationis principio veluti radice pullulant. aliæ vero non quidem necessariæ, neque ex nobis oriundæ, non minus quam illæ, corpus corrumpunt.* Agnoscit scilicet Galenus corpus humanum mortale, ex ipsis intrinsecis principiis quibus compactum est: secundo ab externis causis, & humanis erroribus citius, quam natura sanxisset marcescere: & quidem accersi à nobis vltro mortem, dum vitæ præsidia conquirimus, tam illustre, & conspicuum est; quam infœlicissimum. At nulli vnquam in ipso propagandæ vitæ studio, & ardore, fœdiores errores quam pestilentia sæuiente admitti consueuerunt: experti enim sumus imbutos ea opinione homines calamitosissimo eo tempore, lauto, & opiparo victui indulgendum, turgente enim cibis aqualiculo vigere, ac florere animales, & vitales facultates aiunt, dissici procul doloris

mœſta nubila, vehementem auram effluere e corpore, quæ peſtis ſemina procul depellat cum ipſa effluuii illius inſenſilis impetu, vel diſſipentur, vel contraria reactione immutata grauem noxam inferre non poſſint.

At inſitam hanc vulgo opinionem conuellit Hippocrates lib. 6. epidem. quæ enim victus ratio, ſeu peſte, ſeu aliis epidemiis morbis, qui contagione non inficiant graſſantibus, adminiſtranda ſit, ita pronunciat *labor, cibus, potio ſomnus, venus, omnia mediocria* conſentit Hippocrati Galenus lib. 5. de tuenda ſanitate dum modum multiplicem in victu diſtinguit *in edendorum* (inquit) *bibendorumq. natura ſimiliter in qualitate, & quantitate, & facultate, hic quoque ſcopus eſto ipſa mediocritas, vt nec plura nec pauciora capiat, quam quæ vbi concocta diſtributaque in corpus ſint, idem bene nutrierint*: confirmatur ex eodem Galeno qui libro 1. de tuenda ſanit. ex ciborum intemperato vſu, in mortis præcipitia abripi mortales conqueritur. *Duplici* (inquit) *ratione conſumi corpus indicauimus, vna quod vel ætatis curſu, vel aſſiduo ſubſtantiæ fluore, ad interitum tendat; altera, quæ vtique eſum potionemque conſequitur, ipſo excrementorum prouentu.*

Demonſtrat illud quotidiana experientia, nimio cibo congeſto in corpore, varia morborum genera pullulare cumq. in peſtilentiæ medio æſtu omnes morbi deſciſcant in peſtem, ſuſpectum eſſe opiparum victum eniteſcit, quod ſi quis negauerit

ex

ex ipsa curandi ratione arguitur ab Hippocrate, *Vbi cibus præter naturam plus ingressus est, hic morbum facit: ostendit autem sanatio* nimirum ad restituendam valetudinem exhauriendi sunt humores, atque ab ipso rerum euentu nimium cumulatos illustrat Herophilus, quippe ex rubore, & tumore venarum, nimia redundantia se prodit, quod Galenus contemplatus pronuntiauit, nunquam morbos susceptum iri, si superfluitates abfuerint, tum subdit in commentario aph. xxviii. lib. 6. *Erit autem vacans superfluitatibus, si mediocri vtatur exercitio, & homo benè cibum concoxerit, vnde, desidiæ, & crapulæ eis nocent.* Non ergo furente peste genio indulgendum, nam cum humana corpora tunc in exitium prona sint, nil facilius est, quam vt in collecta excrementorum congerie, illata aliunde pestilentiæ semina incrudescant, illustrabitur autem magis hæc veritas, si contrariæ opinionis argutias refellamus. Respondeo itaque ad primum lautiore victu, non tam vitales, & animales facultates florere, quam deflorescere, si modum excesserit: nam tunc ingentem cruditatum apparatum exoriri necesse est, cum è ventriculo incoctum chylum, hepar, ex hepate incoctum sanguinem venæ, e venis carnes rapiant, rapiunt vero, cum nec carnibus venæ, nec venis hepar, nec hepati ventriculus ob oris ingluuiem resistant, quod Galenus lib. 4. de sanitate tuenda, dum cruditatum è largiore victu pullulantium causam redderet, explicuit, *Plurimum*

mùm (inquit) *crudi succi peruadit in molem corporis, quod plurimæ superflua redundent, atque eo citius, quam par est, quod venter venis, venæ reliquis omnibus animalis partibus rapi, quod nondum confectum est, permittunt.* Ad secundum respondeo ex lautiore quidem victu lætiorem vitam duci, nec spiritus tristitiæ caligine, quæ pestis interdum est prodromus inuolui, verum captandæ inanis lætitiæ specie lasciuiendum non esse, Plato enim in timæo cap. 13. lætitiam puram in animæ bonis inueniri edocuit, & sæpe splendidissima cœna in funebrem mortis scenam conuertitur, si enim ventrem farcire dulce fuerit: tam triste est, excrementis corpus onerasse.

Ad tertium respondeo, non tantum perpendendam systolem, per quam fumi ex arteriis pelluntur, sed etiam diastolem, per quam aer circumfusus trahitur, vt propterea tutum non sit pestilentiæ tempore onerata esse sagina corpora, siue calidiora, variamque esse hominum diathesim in perspirando, nam vt Galenus lib. de tuenda sanitate præclare animaduertit. *Quorum rara, mollisque cutis est, ij ab extremis imminentibus facilè tentantur; quorum densa, ac dura ab internis.* At licet nimium opiparam, ac superfluam diætam damnemus, cauendum tamen, ne quis in nimium tenuis diætæ scopulos incurrat, nam paulo lautior victus errores, acrisque praui incursus facilius feret, quam tenuis, vt obseruat Hippocrates, at quispiam forte inquiret quis diætæ modus obseruan-

uandus sit. Respondeo illum obseruandum, quem Galenus post accuratissimos ingenii labores, lib. 2. de tuenda val. proposuit. *Sanum corpus (inquit) sibi ipsi omnia inuenit, proprio naturæ impetu directum, maxime si in ijs, quæ ad animum pertinent, rectè sit educatum.* Hæc ille nam si quis ad vitia, & gulæ voluptatum aucupia animum detorserit, facilè salubres illos naturæ paruo contentæ impetus retundet: cæterum Hippoc. lib. 2. epid sect. 3. text. 24. ad tuendam valetudinem, dum grassatur epidemia hanc legem tradidit. *Paucus cibus, sine lassitudine, sine siti*, maximum enim sanitatis præsidium est, bene moratus venter, vt aiebat Seneca. Patet vero causa, cur sobrietas pestilentiæ tempore colenda sit, quod nempe ex insigni humorum ebullitione, ac putredine pestis oriatur, nimio vero cibo calefiant viscera, ac facilè sanguis efferuescat. Hæc de quantitate cibi sint dicta: in qualitate obseruandum, cibos qui in locis infectis nati, aut seruati fuerint respuendos, vsurpandos vero qui sint boni succi, qui facilè à stomacho domiti sanguinis formam suscipiant, & ægre concipiant putredinem: à Galeno enim lib. 1. de diff. febr. hæ ad pestis exsuscitanda semina dispositiones, recensentur, *obstructio ambitus corporis, & quæ vocatur plethora, & vita deses consumpta in ebrietate, & venereorum vsu, & cruditatibus memoratis necessario stipata.* At quia de allijs, sinapi, aromatibus, generosiore vino, melle, & saccharo lis mouetur. Concludo mel, & saccharum leuis tantum condi-

menti ratione vsurpanda, nam cum sint viscida, & facile pariant obstructiones, aut in bilem vertantur, temnendas esse titillantis inanis dulcedinis illecebras: generosiora quoque vina non eligenda, licet enim repentino impetu prostratas vires restituant, nimium tamen humores, ac spiritus exagitant: qui vero generosiore vino delectantur, plerumque huiusmodi errores impune tolerant, & satyrico risu quæcumque medicorum oracula, veluti nænias aniles difflare consueuerunt. Sed cum non æquo robore polleant humana corpora, ex admissis impunè ab aliquo erroribus, colligi rectè non potest, nulla morborum parata esse intemperantibus supplicia: Aromata si modicè libentur, corroborant, pestique depellendæ sunt idonea, si immodicè: noxam inferunt, causam accipe à Ioanne Heurnio. *Qui sunt impuro corpore, vt virgines quædam, valdè læduntur ab aromatum vsu.* Affinia sunt aromatibus sinapi, & allia quibus rustici familiariter vtuntur, commendantur quidem illa vulgo, & hominibus insito à natura valido robore præditis, & rusticanis laboribus, aut vehementi corporis exercitio assuetis, vti vespillonibus profuerunt, sed qui deside vita, & politiore cultu vtuntur, humores magis, horum vsu accendent:

De

De corroborantibus ad luis vim retundendam.

CAP. XII.

GAlenus comment. 1. de febribus hanc sententiam physicorum mentibus altè imprimendam pronuntiat; *nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest* probat exemplorum conferto agmine; non enim omnes radiis solis perusti, aut nimiis motibus exerciti, aut scyphis capacibus madentes, aut ardentes ira, aut mœrore contracti, morbo corripiuntur: nec cum sæua illa pestis ex Æthiopia Græciam peruasit vniuersos extinxit, de qua hæc habet *continuo* (inquit) *cæli tractu ex Æthiopia fluxere quædam putredinalia inquinamenta quæ febrim in ijs peperere, qui corpora, vt ab iis læderentur apta habuere*. Non ergo vniuersi erant ad hæc contagij semina excipienda comparati. potest vero quis non esse aptus, priuatiuè, vel positiuè; imo priuatiuè, & positiuè non aptus: priuatiuè non aptus est, cum nullus humor superfluus in eo apparatus est, positiue vero non est aptus cum vel natiuo robore, aut medicæ artis præsidiis, ita instructus est, vt licet cordis arcem dispositæ pestium legiones oppugnarint, veneficos tamen earum impetus generosè

propulset, in contagii enim semina aere volitantia, reagunt medicamina, quibus corpus tanquam propugnatoribus munitur; maleficum agens mere patiens vim suam facile ac citò imprimit: at vbi patiens corpus, quod etiam resistit, nanscisscitur vis illius hebescit: quid ni enim aduersus pestem armari medicamentis plurima corpora possint cum Mithridates; ita antidotis, aduersus venena præsentia se communiisset, vt etiam cum vltro toxica in desperationem efferatus bibisset, ne victoris Pompeii mucronem supplex adoraret, imbellia, & parum nocitura venena deplorarit: nec non referente Suetonio in Nerone cap. 34. Agrippina, ita antidotis, ac theriacæ vsu naturam confirmarit, vt venena a portento illo cæsarea corona redimito, sæpius porrecta eluserit; vt scelus, patrare aperte abiecta innocentiæ larua Nero decreuerit; ac pariter Herodianus narrat Getam aduersus Commodi fratris insidias, antidotis se armasse, sed exclamasse tyrannum, nullam antidotum valere aduersus Cæsarem, qui gladio æmulum confecturus esset.

Corroborantia: externa alia, quæ irruentem vim maleficam repellunt, vel absumunt; alia interna, quæ natiuum calorem augent, & fluentes corpore ichores desiccant; inter hæc theriaca, veluti cordis lorica à Galeno celebratur lib. de theriaca ad Pisonem. *Nobis* inquit, *in pestifera lue solum hoc antidotum malo correptis prodesse adeo visum est, vt nullum aliud præsidium tanto malo resistere*

sistere

sistere fuerit idoneum, cum vero peste correptis medeatur, argumento est etiam ad pestem auertendam maximo futuram præsidio: sed cum pestis, æstate præcipuè soleat incandescere, & theriaca corpus æstate exæstuans magis adurat; inquiritur qua ratione opem ferat. Respondeo si pestis ex nimio tantum calore erumperet, theriacam non laturam opem laboranti corpori, sed ex putrescente humido, vi caloris ebulliente: tum ex qualitate occulta pullulare pestem, cum aliqua corpora horridum fœtorem inhalantia, nulla peste, vicina inficiant, peste vero correptos etsi suauissimis odoribus se illeuerint, pestem afflare compertum sit, ad putridam vero humiditatem absumendam, tum qualitatem exitialem abolendam, excellit theriaca; rationem e Galeno delibamus. *existimo*, inquit, *theriacam veluti sit quidam ignis purgatorius, in pestilenti cæli constitutione, eos qui ipsam hauriunt a tanto malo penitus vindicare: eos vero qui eo corripiendi forent, percurare, cum immutet circumfusi aeris malignam vim, nec temperiem natiuam corrumpi patiatur*. Respondeo. 2. obseruanda tempora, quibus theriaca sumi debeat, nam iis diebus quibus aer siccior nimium incandescit deglutienda non est, nisi mole exigua admodum, scilicet ciceris: sed cum pestilens tempestas aliquando imbribus humescere sub ardente cœlo consueuerit, vt Hippocrates lib. 2. epid. sect. 1. obseruat in peste quæ Cranonem populata est. *Pluebat* (inquit) *in vstionibus*

aqua

aqua larga iis maximè diebus theriaca libanda est, quippe cum multas superuacaneas humiditates ab humente aere, tum corpus trahat, quæ mox æstu nimio ebullient: tum frigida intemperie affectum corpus, caloris intemperiem ægre sit toleraturum: nam magna, & repentina mutatio labem insignem affert, vt *Hippocrates* lib. 6. epid. sect. 3. t. 23. proclamat *mutationes cauendæ* magno cum fructu, tum sumitur theriaca: ne vehementiorem enim mutationem corpus suscipiat, prohibet, tum vt obseruat Galenus *bonam quandam temperiem, salubremque statum corporibus inducit, dum humorum superfluitates absumit, partes refrigeratas recalfacit, & insitam virtutem corroborat, ad hæc probe. &c. functiones obit naturæ. cum enim natura valida est tunc etiam sine impedimento ventriculus cibos concoquit, ac venæ ipsis prompte in sanguinem redigunt, iecur bilem ex facili segregat, cor purum sanguinem suscipiens, vniuerso deinde, vt iam nutrire queat corpori transmittit: excretiones ipsas moderatè molitur: recrementa corporis per totam respirationem salubriter digerit.* Hæc sunt theriacæ adiumenta, cum aer ex calida intemperie in humidam frigidamque repente mutatur: sumenda autem est, cum ciborum con. coctio perfecta, est quamquam vero vsus inualuerit, vt cum vino sorbeatur, tamen cum Galenus duobus cyathis aquæ sorbendam imperet, satius arbitror cum aqua stillatitia scorzoneræ, aut borraginis, aut scordii, aut galegæ hauriendam: insi.

qui

qui ea vtuntur , ætate iam fuerint prouectiores quibus etiam vtile fuerit vinum modica aqua rosacea diluere : corroborare enim , ita naturam molimur , vt humores non aduramus ; si de quantitate theriacæ in singulas doses propinandæ quæras : Respondeo nunc fabæ ægiptiacæ , nunc auellanæ nucis magnitudine sumendam, Galenum memorato de theriaca ad Pisonem libro imperasse . Si dosim ad pondus auri reuoces, ea à scriptulo vno ad drachmam excurrit, ita vt iis diebus quibus cœlum imbribus asperatur , atque intemperiem frigidam contraxerit , drachmæ vnius pondere , vel cum conserua florum borraginis , vel cum liquore conuenienti hauriri possit , diebus vero aliis duorum scriptulorum , vel dimidiæ drachmæ , vel vnius scriptuli pondere , prout aeris calor , magis vel minus incandescere videbitur , adiecta conserua citri , aut violarum , vel cum aquæ scordii , & rosarum vnciis duabus syrupi de agresta vncia dimidia .

Obijciet quispiam quocumque modo theriaca æstate porrigatur , sanguinem inflammaturam , vt concepto feruore adustam , atram bilem in carbunculos citius attollat . Secundo viperinas carnes, ex quibus theriaca conficitur suspectas, ne cum aliqua ipsis cum veneno intercedat societas , venenum aereo corpusculo inspersum , occulta sympathia ad interna rapiant , illudantque spei ; ita vt si quis ex theriaca fructus decerpatur , non carni viperinæ , sed conquisitis alijs aromatibus , quibus condita

ser-

serpentina caro tanquam iucundo lenocinio horrori non est, tribuenda sit,: auget eam suspicionem, quod labentibus quinque sæculis ante Leoniceni tempora viperinorum trochiscorum vsus ita obsoleuisset, vt ne quidem medici viperas à serpentibus discernere nossent, vnde vero tanta imperitia discernendarum viperarum irrepserat, nisi ex viperarum contemptu, à quibus ijs sæculis mortales abhorrebant. Tertiò inania plerumque theriacæ elogia, ad eloquentiæ potius pompam, & quæstus cupiditatem, quam ad commendationem veritatis subornata, ex tristi effectu demostrantur, cum theriacæ vsu instructos non minus, quám alios pestis conficiat.

Respondeo ad 1. Licet plura calidiora aromata in theriacæ compositionem coeant, tamen eorum vim adiectis nonullis contrariis infringi, vt ex eorum concretione mixta quædam forma, quæ non sit nimium adustura humores efflorescat; quin etiam flexu temporis ob fermentationem diutinam illius mutatur temperies, vt in prophylaxi aduersus pestem, eam theriacam cuius fermentatio à quarto anno ad duodecimum excurrit delibandam, experientia, & ratione confirmatum sit: & licet Theriaca qua calefacit, nocitura sit æstate, quia intemperies calida refrigerantibus mulcenda est, qua tamen putredinem arcet, & venenatam qualitatem contrariâ vi, atque impressione infringit, maximam affert vtilitatem; non vero ita magnificè prodest, quod non ex aliqua parte

parte noceat, vt ait Celsus, & per omnia rem edorum genera prolixa excursione probari posset, præterea cum suspectus fuerit theriacæ vsus, non tantum propter æstatis feruorem, sed etiam calidiorem alicuius intemperiem, ita refrigerantibus liquoribus, & succis, qui etiam venenis resistunt permiscetur, vt nullam labem, atque intemperiem in humano corpore sit paritura. Exemplum esto huius aquæ theriacalis, quæ à Petro Salio Diuerso, & Eustachio Rudio celebratur, & ob eximiam vim, atque præstantiam in communem vsum abiit.

℞. Succorum rutæ caprariæ, acetosæ, scordii, citri singulorum libram: theriacæ optimæ vnciam, ac in tepido balneo macerentur; dein vero in dipomate stillatitia aqua prolicíatur, dosis illius est à semuncia ad vnciam, cui si diamargariti frigidi scrupulum adieceris, vim eius promoues, & adurendi sanguinis omne periculum abest.

Respondeo ad secundum diflandas cachinno de viperinarum carnium aduersus venena præstantia huiusmodi suspiciones, licet enim veneno armatæ sint viperæ, quod in vesiculis dentibus adnatis ferueet, veneno tamen reliquæ partes carent; quanquam potioris securitatis causa, caput & cauda truncari, atque interanea abijci iubentur à Galeno, qui testatur viperinas carnes habere, *insitam ad seruandum potestatem, atque ad ferendam opem robur*, in quo adoranda est diuina Prouidentia, quæ animanti veneno gignenti, vim aduersus venena indide-

diderit: ita lapides in bufonum capitibus aduersus venena præstantissimi reperiuntur, ita cornicula aliquorum serpentum, tanta vi aduersus venena pollent, vt Ioannes XXII. sæpius veneno tentatus Fuxensi comitissæ pro cultello, cuius manubrium corniculo serpentino instructum aduersus venena præsentissimum erat remedium, pontificiam gazam obligaret. Denique monemur à sapiente hunc mirum contrariarum rerum concentum in diuinis operibus animaduertere, *intuere*. inquit, *opera Altissimi, & bina quæque videbis, quorum alterutrum repugnat alteri*. Porro non ab insano impostorum ludibrio manauit opinio, viperinas carnes ad domanda venena insita vi pollere, sed ex conspicuis, & illustribus experimentis fluxit, nam cum humana sagacitas ad rem explorandam (vti plura præstantissima remedia adhuc in orbe Sapientes latent) naturæ in venenatis animantibus aduersus venena præsidia occulentis arcana non penetraret, singulari diuinæ Prouidentiæ beneficio, quod fortunam dixit cœca gentilitas: in Asia, vt narrat Galenus lib. 11. de simplicium medicamentacul. cap. 1. cum lepra infectus æger à reliquorum hominum consortio segregatus, veluti fœdum monstrum sui horrorem vniuersis incuteret, atque exoriente sirio messores lagenam vino fragrantissimo plenam deposuissent, vipera siti ardens in eam irrepsit, ac vi vini præfocata est: hi vero cum in cratera vinum funderent, vna excidit vipera, atque horrore sitientes perculit, tum illi vti genti-

litio errore inuoluti; præclarè acturos putarunt, si elephantiacum hominem specioso eo munere vita, morboque liberarent, at viperæ vis infusa vino, venenum omne quod latebat in corpore, ad peripheriam corporis depulit, adeo vt squammatim loricatus videretur, squammisque decidentibus cõualuerit, apparente molli carne, non aliter quam detracta testa, mollis cancrorum caro se prodit. In Mysia similis accidit casus; nam cum elephanti si laborans perrexisset ad balnea, atque in vrceum vini, vipera siti exæstuans illapsa esset, serua illius, quæ heri, & amatoris amplexus tetros horrebat, vinum vt putabat veneno temperatum propinauit, at ille pariter cute tuberosa excidente, valetudini præter spem est restitutus: addit author alia exempla trium hominum, qui lepra horrentes viperinæ carnis esu morbo sint liberati, quamquam gentilitio more nonulla superstitiosa permisceat. Si quis vero miri effectus causam exploret, comperiet; inquit Galenus, viperinam carnem esse desiccatiuam, & valide diaphoreticam, moderatè vero excalfacientem. At si quis nos vrgeat inter hominem, & serpentem summam vigere antipathiam, ergo viperinam carnem vtilem homini non futuram, præterea si in homine pestifera vesicula apparuerit, contactum illius formidandum, ergo à pari cum vesiculæ veneno turgentes oriantur in viperis, earum carnes defugiendas, nisi quis humanæ naturæ hostes hominibus, viperas prætulerit. Respondeo ex ipsa carnium viperi-

narum cum humana carne antipathia, quam illustrat ieiuni hominis saliua serpentem enecans, rectè colligi, viperinam carnem, alimentum non tam esse, quam medicamentum (de viperis loquor) nam in America aliquos serpentes inter exquisita gulæ lenocinia recenseri, docet Petrus Martyr, in suis decadibus Oceaneis ad Romanum Pontificem) At licet concedamus, inter humanam carnem, viperinamque antipathiam intercedere, tamen ex accidenti, licet non per se, naturam iuuat: nam dum ad cutem eam in halitum resolutam propellit, excrementa pariter tenuia, quæ efferuescunt in corpore, ad peripheriam, omnium quæ diaphoretica vi pollent more, detrudit: quare Galenus cap. 1 lib. 11. de medicamentorum facultatibus subdit, *vis eius commouens in corpore excrementitias partes, eas ad cutem impellere videtur*: ad argutiolam vero quæ subiicitur, respondeo disparem esse rationem de animante, cui venenum à natura inditum est, ac de alio in quo præter naturam venenum gignitur, nam in priore reliquæ partes non inficiuntur, sed veneno purgantur, in posteriore vero veneni contagio in omnes partes dimanat: adeò verò præstans præsidium aduersus pestem theriaca existimata est à medicis: vt siue bezoarticos liquores, siue cardiacas potiones, siue electuaria, siue trochiscos, siue opiatas, siue condita, siue magisteria, siue extracta, siue pulueres, siue elixir, siue balsama aduersus pestem conficiant theriaca in varias formas soluta vtantur.

Aemu-

Æmulantur theriacæ vires mithridatium, alkermes, confectio liberantis, confectio hyacinthina, electuarium e gemmis, electuarium de ouo Fracastorii, trochisci e Carabe, e terra sigillata, triasantalum, electuarium e sanguinibus, Diascordium, & alia quæ vel seorsim sumpta, vel aliis coniuncta, vario liquidarum, vel solidarum formarum lenocinio concinnantur. Theriacalium aquarum hæc exempla proponimus præter communem, quæ superius descripta est.

℞ Succi scorzoneræ vnc. vi. carolinæ, imperatoriæ, angelicæ singularum vnciam, oxalidis rotundæ vnc. iv. aquarum scordii, vincetoxici, melissæ singularum vnc. iii. aquæ rosaceæ vnc. viii. borraginis sesquilibram, succi limonum, berberium, vuæ crispæ singulorum semilibram: mithridatii semunciam, theriacæ drach. vi. succini vnciam: misce, & ex iis diei vnius fluxu, maceratis in tepenti balneo aquam stillatitiam prolicito, huius vncia, vel iusculo, vel vino diluta manè sorbetur licet aer æstiuis ardoribus incanduerit.

Aqua candalæa vti ad spiritus languentes reficiendos, ita ad corroborandum cor, aduersus auram pestiferam; eximia est.

℞ Caryophyllorum, nucis moschatæ, zingiberis albi, zedoariæ galangæ, piperis longi seminis iuniperini, spicæ nardi, xylaloes, cardamomi, cubebarum, calami aromatici, corallorum rubrorum, & alborum, carnis dactylorum, santalorum, corticum citri, granatorum, pi-

nucolorum, amygdalarum dulcium, medullæ ebuli albi, seminum anisi, fœniculi, ocymi, baccarum lauri, calamenti, stœcados, chamædryos, scordii, carolinæ, bistortæ, centaurii minoris, pimpinellæ, radicum angelicæ, petasitidis, bistortæ, flor. viol. rorismarini, rosarum, rubrarum, & albarum, foliorum salviæ, melissæ, basilici, maioranæ, menthæ, pulegii, gentianæ, singulorum semunciam, rhabarbari vnciam ambari drachm. ii. moschi scrup. ii. mellis albi vncias ix. aq. vitæ triplici omnium pondere; stillatitia arte prolicitur liquor, cuius dosis vnius cochlearis mensura, cor adeo corroborat; firmat ventriculum, cerebrum recreat, vt auram venenatam, vel propulset, vel immutet. Commendatur hæc aqua ab Ambrosio Paræo lib. 22. cap. 8.

℞. Radicum gentianæ, cyperi, tormentillæ, dictamni, enulæ campanæ singular. vnciam foliorum tapsi barbati, cardui benedicti, morsus diaboli, pimpinellæ, scabiosæ, oxalidis agrestis, manip. dimidium. summitatum rutæ pugillum, baccarum myrti vnciam: rosarum purpurearum, florum buglossi, borraginis, hyperici æquis partibus vnciam: macerentur omnia horis viginti quatuor, in aquæ rosarum, oxalidis, vini generosi ana libra i. dein repone in vase vitreo, adde theriacæ, & mithridatii singulorum semunciam, & stillatitius liquor in balneo mariano proliciatur: Huic infunde croci drachmam: sphragidis lemniæ, boli armeni, santali citrini, rasuræ eboris, lima-

maturæ cornu cerui iunioris, è parte propius caput attingente, singulorum semunciam: deinde obturatum vas, solaribus radijs octo, vel decem dierum interuallo, vt diuersorum mixtorum anathymiasis permixta egregiè coeat, exponito. Dosis illius est à semuncia ad vnciam habita cuiusque virium ratione: at quia ingrata plerisque videtur, saccharo, & cinnamomo contusis in hypocratico sacculo affunditur, vt dulcedinem, & gratum odorem trahat.

Experti sunt etiam plerique magna, cum vtilitate huius aquæ cardiacæ vim, cum aer humidam, & frigidam intemperiem contrahit.

℞. Radicis aristolochiæ longæ, & rotundæ, tormentillæ, dictamni singularum drachmas iii. zedoariæ drachm. ii. xyloloes, santali citrini, cuiusque drachmam: foliorum hyperici, scordii, acetosæ, rutæ, saluiæ singulorum semunciam; baccarum iuniperi, lauri, singularum drachmas tres, seminum citri drachmam, caryophyllorum, maceris, nucis myristicæ, singul. drach. ii. masticches, olibani, boli armeni, terræ sigillatæ, rasuræ eboris, cornu cerui: singulorum vnciam, croci scripulum; conseruæ rosarum, florum buglossi, & nenuphari, theriacæ veteris singul. vnciam, caphuræ semidrachmam, aquæ vitæ libr. dimidiam vini albi libras ii. stillatitius liquor chimica arte eliciatur. Theriaca regia è magni ducis Hetruriæ scrinijs decerpta, inter eximia corroborantia recensenda est, cuius formulam Pelicinus afferet.

℞.

℞. gemmarum orientalium semunciam, smaragdorum, hyacinthorum, rubinorum, granatorum, singulorum drachmas duas: cornu rhinocerotis; terræ lemniæ, seminum citri, corallorum rubrorum, succini, xylaloes, singulorum drachmas tres: cinnamomi, nucis moschatæ, caryophyllorum piperis longi, singulorum drachmas duas, & dimidiam, spicæ nardi, rosarum rubrarum, corticum citri, singulorum drachmas tres, & dimidiam: croci, lapidis bezaartici, singulorum scriptulos duos: sacchari defæcatissimi unciam, moschi orientalis drachmam: ambari odorati drachmas duas, opobalsami orientalis, auri potabilis, vel eius loco, auri in foliola ducti sesquidrachmam.

Lapides pretiosi in vase porphyretico, aut marmoreo tundantur: tum gemmæ, & bezoarticus lapis triti madefiant stillatitii vini spiritu, & aqua florum aurantiorum: reliqua trita, pariter setaceo excernantur: & cum melle hisp no despumato fiat electuarium; vel cum zulapio de acredine citri, aut syrupo e corticibus citri. Dosis erit drachma una: dein aquæ scorzoneræ unciæ quattuor, cum uncia syrupi e scordio, hauriri possunt.

Electuarium corroborans, Philippi Mariæ Vicecomitis ducis Mediolanensis.

℞. been albi, & rubri, florum violarum, scobis eburneæ, singulorum drachmas duas, seminum citri mundatorum, dictamni albi, heptaphylli, scabiosæ, pimpinellæ, chelidoniæ, betonicæ,

nicæ, calendulæ, boli armeni, terræ sigillatæ, zedoariæ, xylaloes, seminum oxalidis, lignialoes, singulorum drachmas duas, & dimidiam: rhabarbari electi; foliorum rutæ, semunciam: gentianæ, rosarum rubrarum, singulorum drachmam: xilobalsami, carpobalsami, mirrhæ, singulorum drachmam: cinnamomi, maceris, nucis myristicæ, gemmarum, singulorum drachmam: granatorum, hyacinthorum, seminum ocymi, florum borraginis, buglossi, singulorum scriptulum, & grana sex, smaragdi, moschi grana duodecim: corallorum rubrorum, & alborum, succini, singulorum scriptulum: santalorum omnium, scriptulos quinque, & dimidium: folia aurea, & argentea singulorum quinque: cum syrupo ex acredine citri; fiat electuarium cuius dosis est a scriptulis duobus, ad sesquidrachmam. Magno chymicorum labore, confecta hæc aqua theriachalis, vnius cochlearis pondere, Parisiis celebrata est inter diuites ab Hollerio lib. 1. de febribus cap. de peste descripta.

℞. Radicum tormentillæ recentis libram, radicis enulæ vnc. iv. berberum, & betonicæ, radicum dictamni singul. libram dimidiam; acetosæ vncias xx. seminum eiusdem acetosæ vnc. iij. buglossi, & borraginis cum floribus, rosarum rubrarum singulor. lib. 1. pimpinellæ, scabiosæ cuiusque lib. dimidiam: succi limonum, lib. i. theriacæ veteris lib. dimidiam aquæ vitæ ex vino generoso repetitis coctionibus prolicitæ vncias ii. santalorum

ſpodii, behen albi, & rubri, margaritarum ſplendidarum, ſingulorum ſeſcunciam, oſſis de corde cerui drachmas ii. raſuræ eboris ſemunciam croci drachm. ii. caphuræ drachmas duas, ducti in bracteolas auri ſemidrachmam. In his non temerè miſcendis, ſed parandis ars eminet. Foliola aurea leuiter melle delibuta, læuigantur in lapide porphyrite, ac in ampulla vitrea, ſuperfuſo ſtillatitio vino reponuntur quindecim dierum flexu; margaritæ etiam tritæ, in obturato vaſculo, libra ſucci limonum dilutæ diebus totidem ſeruantur: radices vino lotæ teruntur, dein ſiccantur cum herbis, & floribus, loco mundiſſimo, & perflatili, tamen inumbrato.

Demum omnia in vitreato vaſe, aqua vitę, & ſucco limonum affuſis condantur: obſtruaturque os diligenter, ne quis vapor tenuis exhalet: in loco vero humido, calce viua inſtrato, vas tripodi impoſitum, vndique vinaceis & fimo equino, vel vaccino circumdatur, ac tegitur: aſperſa etiam aqua, vt locus humidior euadat, tum vinacea fimusque quarto recurrente die commutentur, lapſo duodecim dierum interuallo, vniuerſa materies, in alembicum vitreum tranſponitur, eoque ſigillis aptiſſimè munito, ſtillatitius liquor prolicitur, iterumque in magma refunditur, & aliquanto magmate macerato prolicitur liquor, denique ſine fæcibus in balneo mariano aqua pręſtantiſſima, ac pretioſiſſima paratur. Fernelius in methodo medendi hanc ad obtundendam ma-

li-

lignitatem celebrat cuius drachmæ duæ iusculo infunduntur. ℞. endiuiæ buglossi, vtriusq; stoebes, pentaphylli, cardui benedicti, oxalidis, pimpinellæ, betonicæ, recentium omnium, singulorum manipulum, radicum dictamni, betonicæ, & pentaphylli, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, doronici, zedoariæ, singulorum semunciam seminum oxalidis, cardui atractylidis, & plantaginis, singulorum drachmas sex: theriacæ, mitridatii veteris cuiusque vncias duas; recentes herbæ tunduntur, hisque asperguntur, reliqua omnia trita exquisitè sinuntur triduo macerari: denique ex his in vaporarium coniectis liquor excipitur.

Finguntur in electuarii formam plura alia medicamina ad vim natiuam confirmandam.

℞. mithridatii alkermis singulorum sescunciam, theriacæ mediæ ætatis, radicum angelicæ, carolinæ, tormentillæ, baccarum iuniperi, seminum anisi singulorum drachmas duas, sphragidis lemniæ, & armeniæ præparatæ cuiusque semunciam: diamargariti frigidi, confectionis libetantis, rasuræ cornu cerui, coralli rubri singulorum drachmas duas, conseruæ florum borraginis vnciam: cum syrupo de corticibus, & acetositate citri, fiat electuarium liquidum, cuius dosis erit auellanæ nucis instar, singulis matutinis cum vini haustu, vel si nimii ardoris interni concitandi metus non absit, cum aqua scorzoneræ, vel cardui benedicti, vel borraginis, & rosarum, vel cum vino granatorum. Quod vero ad luti armenii

præparationem attinet, abluitur ex aqua rosarum, borraginis, acetosæ, scordii, scorzoneræ, vel angelicæ, adiecta vini albi optimi portione, atque vbi hisce aquis delibutum, & maceratum fuerit, exsiccari sinitur; iterumque teritur, & nouo affuso liquore diluitur ter quaterue:

Fertur Hippocratem sæuiente in Attica pestilentia, hoc electuarium confecisse, atque ex multorum salute, ingentem gloriam collegisse:

℞. Calami aromatici, iunci odorati, sabinæ cuiusque semunciam: agni casti, cardamomi, cyperi cuiusque drachmas septem: croci drach. duas spicæ nardi vnciam, costi semunciam, folii drach. x. cassiæ vnciam, amomi drachmas vi. mastiches semunciam, styracis sescunciam, nardi celticæ vnciam aspalathi drach. ix. ammoniaci sesquidrachmam: pilularum cupressi, rosarum singularum semunciam: therebinthinæ vncias vi. mellis. lib. i. vini vetusti sufficienti ad bellaria maceranda quantitate omnibus mundè, ac sedulè melle delibutis, adde ladani myrrhæ, thuris, cuiusque vncias duas baccarum iuniperi semunciam, omnibus accuratè permixtis, electuarium ad arcendam pestem præstantissimum consurget.

Celebratur apud Batauos illud veluti cordis viribus aduersus venena confirmandis maximè idoneum.

℞. conseruæ borraginis, buglossi, fol. nymphææ, acetosæ, vncias duas: conseruæ florum antho, semunciam: theriacæ drachas tres, succi scordii, quin-

que-

quefolii, acetosæ, cuiusque vnciam: succi limonum, semunciam, succi citri, vnciam: cinnamomi, semidrachmam, dictamni cretensis semunciam, boli armeni drachmam, cornu cerui, ramenti cocci maldiuensis, scobis eboris cuiusque scrupulum, lapidis belzaartici gr.xx. citri, coralli rubri cuiusque scrupulum: radicis angelicæ, zedoariæ, singularum semiscrupulum cum acido citri, saccharo præparato, & miua myrobalanorum saccharo conditarum, excipiantur omnia, adiecta vncia vini odoriferi gran.5. moschi, & ambari gran.iv.

Electuarium Imperiale Bononiæ, Florentiæque celebratissimum. ℞. behen alb & rubr. violarum cuiusque, semunciam: dictamni albi, tormentillæ, scabiosæ, pimpinellæ, angelicæ cuiusque drach iij. fol. malabatri vnciam, gemmarum oriental drachmas ii. granatorum, hyacinthi singulorum drachmas ii. smaragdi drachm.iii. corallor. albor. & rubrorum cuiusque semidrachmam: gentianæ, boli armeni, terræ sigillatæ, cuiusque drachm. tres, ac dimidiam, succini drachmas tres zedoariæ drachm.ii. rosarum rubrarum drachm. iii. lignialoes, santalorum rubr. albor. & citrinorum cuiusque semunciam, seminum ocymi scriptulum, doronici, xiloballsami, carpoballsami cuiusque drachmas ii. cinnamomi, macis, caryophyllorum, nucis moschatæ, singulorum drachmas duas, ac dimidiam, seminum oxalidis drachmas iii. eboris, & bracteolarum auri tantundem: croci drachm.ii. myrrhæ, drach.iv. florum citriorum, borraginis,

myr-

buglossi, melissæ, singulorum drachm. Rheobarbari vnciam, acetositatis citri quantum sufficit, fiat electuarium; sumat castaneæ magnitudine, qui mali suspicionem conceperit.

Electuarium diaæmaton, siue de sanguinibus à Galeno lib. 2. de antidotis, tum aduersus venenatorum animalium morsus, tum aduersus alia venena, pestemque præstantissimum, describitur his verbis: atque ab Aenea Caprilio de febribus putridis in specie, lib. 2. à Manardo lib. 5. epist. medicinal. 3. nec non ab alijs veluti experientiæ prærogatiua ornatissima celebratur.

℞. piperis longi, piperis albi, costi, acori, croci, phu, dictamni cretici, ammoniaci, agarici; singulorum drachmas duas: amomi, opobalsami, seminis rutæ syluestris, cymini, seseleos, anisi, sanguinis anatis, maris, & fœminæ, sicci sanguinis hœdini, sanguinis anserini, seminis napi syluestris, singulorum drachmas tres: gentianæ, trifolij, florum iunci rotundi odorati, thuris, rosarum siccarum, singulorum drachmas quatuor: petroselini drachmas quinque, phu cretici tantumdem, cinnamomi drachmas sex, florum scordii drachmas duodecim: casiæ drachmas octo; omnia diligenter contusa, cribroque traiecta: quadruplo mellis lectissimi, probeque despumati excipiantur: vaseque argenti purissimi, vel potius vitreo, velut pretiosissimus thesaurus recondatur antidotus, cuius dosis ad prophylaxim, erit drachmarum duarum, cum vini haustu. Nonnihil ea formula

mula apud Manardum immutata est, nam carpobalsami grana viginti, ireos rhei, ac pontici, quod à Polonis repertum est, vel orientalis zingiberis, mastiches, singulorum drachmas, stœcados drachmas quinque adiecit.

Electuarium de ouo compositum apud Germanos, ita à Gisberto Cæsareo archiatro, accepit Grossius.

℞. ouum, & eiecto albumine per foramen imple croco, & pasta circumlitum torre, cum testa croceum traxerit colorem, ouum in pila contunde in minutissimum puluerem, postea,

℞. radicis tormentillæ, dictamni albi, singulorum drachmas duas, seminis anchusæ, cyani æquali mensura drachmam vnam, seminum cardui benedicti sesquidrachmam: seminum acetosæ tantundem, seminum citri dimidiam drachmam, rasuræ vnicornu, rasuræ eboris singulorum scriptulos quatuor: xylaloes, myrrhæ, been rubri, & albi æquali mensura scriptulos duos, zingiberis semidrachmam, theriacam lectissimam vniuersorũ pondere. Dosis erit sesquidrachma: si quis sudorem laboranti, concitare voluerit. At drachma dimidia, ad prophylaxim accipitur.

Electuarium de ouo minus apud Batauos facilè componebatur, ex tribus referente Heurnio nempe educto albumine, croco implebatur ouum, ac torrebatur, dein tantumdem seminis sinapi albi, vel erucæ addebatur, atque vna diligentissimè terebantur ad sesquidrachmam, ex aqua cardui benedicti

dicti, ad mouendum, ægro sudorem: sumebatur ad prophylaxim ciceris magnitudine, aqua rosacea, & aceto, vel vino temperatum.

Tertia electuarii de ouo compositio, apud Gallos præsertim Parisijs celebratissima, hæc fuit, vtrinque pertuso ouo albumen effunditur, drachmæ duæ croci induntur; tum per foramina traiecto baculo assatur ouum, dum testa vehementer caleat, dein ad summam tenuitatem teritur, adiice vnciam vnam theriacæ, seminis, sinapis vncias duas, vniuersa moles in pilulas effingitur, dosis erit pro laborante ad drachmas duas, si vomitu eiecerit, noua iterum dosis præbenda est: ad præcautionem vnius drachmæ dosis sufficiet.

Quarta compositio ab Italis in opus ita prouocata est, decerpta à Maximiliano I. Cæsare ex medici Augustani descriptione.

℞. ouum, eductoque per apicem albumine immitte crocum, torre igne, donec testa incandeat, adde æquale pondus sinapi: postea.

℞ pulueris dictamni albi, pulueris tormentillæ singulorum, drachmas duas, pulueris myrrhæ, cornu cerui, singulorum drachmam, pulueris angelicæ, pimpinellæ granorum iuniperi, zedoariæ, caphuræ, semunciam: omnia in mortario contunde, & misce: demum theriacam æquali totius molis pondere adiice, & trium horarum interuallo, labore improbo, agita: dosis erit semidrachma, ad integram drachmam:

Pilulæ aduersus pestem præstantissimæ, quæ in

ea

ea peste, quæ superioris sæculi anno septuagesimo quinto, maximas Italorum strages edidit, salutem plurimis pepererunt.

℞. aloes hepaticæ sescunciam, myrrhæ vnciam, croci semunciam, lignialoes, been albi, & rubri, corallorum rubrorum, & alborum, corticis citri, sphragidis lemniæ, seminum citri, pimpinellæ, seminum acetosæ, santalorum alborum, rubrorum, & citrinorum æquali mensura scriptulos duos: radicum tormentillæ, dictamni albi, boli armeni, gentianæ, cornu cerui, singulorum drachmam: maceris, caryophyllorum, nucis moschatæ singulorum drachmas duas, balsami, carpobalsami, zedoariæ, caphuræ, ossis è corde cerui, æquali mensura scriptulum vnum, ambari leucophæi grana septem, moschi grana tria, gemmarum non pertusarum, drachmam vnam, topacij, hyacinthi, granatorum orientalium, saphyri, smaragdi, semidrachmam:

Parantur hæ pilulæ hoc artis lenocinio. Abluitur prius aloe aqua rosacea, & borraginis, cornu cerui vritur, donec candeat: coralla, gemmæ, & lapilli teruntur, dein in lapide porphyrite læuigantur, asperguntur que aqua scabiosæ, donec in pastæ formam mollescant; ea desiccata iterum in porphyrite lapide subigitur, ac perfunditur aqua rosacea, & aqua scordii, iterumque exsiccata tertio maceratur, vt prius donec in tenuissimum puluerem abeat. Dein commisce pulueres, cum aloe, & cornu cerui in mortario, & aqua scordii, scor-

zoneræ, rosarum, & scabiosæ irrora, donec moles vniuersa sæpius trita, madefactaque sesquilibram aquarum huiusmodi belzaarticarum absumpserit, demum cum syrupo angelicæ, vel ex acredine citri componantur pilulæ, quarum dosis erit trium granorum, ciceris magnitudine matutino tempore. Eæ arcent singulari beneficio putredinem, feruorem humorum inhibent, succos corruptos pellunt, vermes necant, facultates corroborant, sensus acuunt, denique insitum calorem confirmant.

Minus operosa est, subiecta pilularum compositio eximia, tamen adiectis aliquot aromatibus pilulis Ruffi.

℞. myrrhæ, croci, boli armeni, singulorum drachmas duas, caryophyllorum, maceris, carabes, æquali pondere drachmas tres, opobalsami drachmam, aloes æquali omnium mensura, ita tamen vt æstate aqua plantaginis, & oxalidis abluta sit. Dosis à scripulis duobus ad drachm. vnam.

Puluis à Petro Foresto multorum fœlici successu ægrorum, à quibus pestem depulisse gloriatur, ab ipso lib. 6. de febr. in scholiis obseruationis xvi. ita describitur.

℞. radic. dictamni, tormentillæ, boli, armeni, aqua scabiosæ abluti, terræ sigillatæ, singulorum drachmas sex: radicis gentianæ radicis petasitidis, betonicæ, officinis tunicæ appellatæ cuiusque dragmas duas, santali rubri drachmam rasuræ eboris, corticum citri, coralli rubei, ossis de corde cerui,

radi-

radicis zedoariæ, ſingulorum ſemidrachmam margaritarum puriſſimarum, been vtriuſque, pari omnium pondere ſcriptulos duos, fragmentorum quinque lapidum precioſorum æquali menſura ſcriptulum, ſuccini, ramentorum vnicornu veri, ſingulorum ſcriptulum dimidium, bracteolas aureas, & argenteas numero tres ex ſingulis, miſce, fiat puluis tenuiſſimus; doſis ad prophylaxim in aqua ſcabioſæ, oxalidis, vel cardui benedicti, ad ſcriptulos duos commendatur: ad morbi præſentis curationem: ad drachmam porrigitur, adiecto ſyrupo de acetoſitate citri, vel exiguo aceto, & calide propinatur, deinde ſudor imperatur.

Puluis cardiacus. ℞. radicum angelicæ, caryophyllatæ, gentianæ, carolinæ dictamni, ſcabioſæ, ſcorzoneræ, petaſitidis, valerianæ ſingularum ſcriptulos duos, baccarum iuniperi vino græco præparatarum: ſeminum oxalidis, ocymi, endiuiæ, aniſi, agni, caſti, coriandri præparati, ſeminum citri, rutæ, cardui benedicti æquis ſingulorum partibus drachmam dimidiam: granorum chermes drachmas duas trium ſantalorum, caryophyllorum, been albi, & rubri, doronici, xylaloes, zedoariæ, cinnamomi, cardamomi, maceris, croci, roſarum rubrarum, florum buglosſi vtriusque, florum nymphææ, ſingulorum drachmam; eboris vſti, cornu cerui vſti, vngulæ alcis, raſuræ vnicornu, oſſis e corde cerui corallij albi & rubri, ſuccini, gemmarum ſplendentium æquali pondere ſcrupulum: hyacinthini puluiſculi

Z 2 ſcru-

ſcrupulos duos, ſmaragdi drachmam dimidiam, ſerici crudi torrefacti, boli armenæ, terræ lemniæ aqua ſcorzoneræ ablutorum ſcriptulos duos, lapidis belzaartici ſeſquidrachmam: caphuræ, moſchi, ambari, æquali ſingulorum menſura. grana octo. manuſchriſti perlati vnciam fiat puluis, doſis ad prophylaxim drachma vna, diluta vini tenuis, & albi cyatho. Idem puluis in tabellas concinnatur, ſi octuplæ parti ſacchari defæcatiſſimi, & aquæ roſarum ſtillatitia diſſoluti, hunc puluerem aſperſeris; Hæ tabellæ frequenter ore contineri poſſunt, & ſenſim ad confirmandas partes internas colliqueſcent; poſſunt etiam duæ, vel tres tabellæ, ita compoſitæ, manè ſumi cum vini hauſtu

Puluis viperinus ex Galeni deſcript. lib. de ſalibus theriacalibus optimus cuius doſis eſt ſcriptulus ad humiditates abſumendas arcendamque putredinem pollet etiam promouendi ſudoris vi, vti etiam excellens eſt ſal abſinthiacus ſemiſcriptuli pondere.

Syrupus aduerſus peſtem eximius: ℞. Radicum angelicæ bohœmicæ, vel ſatiuæ inopia, accipe ſyluestris, ſcorzoneræ, carolinæ, biſtortæ, vincetoxici, caryophyllatæ, valerianæ, enulæ campanæ, zedoariæ ſingularum ſemunciam

Foliorum ſcordii, pimpinellæ, vlmariæ ſiue reginæ pratenſis, ſcabioſæ, dictamni, oxalidis, rutæ, meliſſæ, ſamſuchi, betonicæ, euphraſiæ, dracuncelli, chamædryos, cardui benedicti, ſingulorum manipulum dimidium: florum bugloſſi,

bor-

borraginis, violarum, rosarum, orminij, rorismarini, æquis singulorum partibus pugillum vnum, florum caryophyllorum purpureorum damascenorum, pugillos quatuor.

Seminum anisi, oxalidis, coriandorum præparatorum, ameos, thlaspi singulorum drachmam, seminum citri excorticatorum, iuniperi præparatorum sesquidrachmam, fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ, expressisque omnibus accipe colaturæ libras quatuor, succi scordii libras duas, succi angelicæ, succi pimpinellæ minoris, & maioris, succi rutæ caprariæ, succi scorzoneræ, singulorum vncias quatuor succi citri libram: misce, adde sacchari defæcati libras quinque, decoque proximè ad concretionem syrupi, qui in extrema coctione cinnamomi semuncia caryophyllorum, macetis, nucis myristicæ, singulorum sesquidrachma galangæ, zinziberis, xylalois semidrachma, aliptæ moschatæ scriptulo condiatur.

Dosis illius est ab vncia ad sescunciam, aquis stillatitijs scabiosæ, scorzoneræ, oxalidis, scordii, angelicæ, melissæ, imperatoriæ, borraginis, & rosarum diluitur, vsusque tum ad prophylaxim, tum in percurandis peste affectis, & temperandis cardiacis potionibus præstantissimus est.

Tabellæ cardiacæ. ℞ pulueris belzaartici drachmam, cornu cerui, & vnicornis, margaritarum splendidarum, scobis eboris, xylalois, singulorum scriptulum: smaragdi præparati, hyacinthi, singulorum grana duodecim: excipe hæc

sac-

facchari puriſſimi in aqua roſarum ſtillaticia in qua ambræ, & moſchi ſingulorum grana quatuor infuſa fuerint ſoluti vnciis tribus, atque in tabellas conformentur, quarum vſus eſt, vel cum maximè, cum ſermo eſt cum ſuſpecto homine: vel etiam zedoariæ radix, vel angelicæ, vel cinnamomum, vel zinziber, vel caryophyllus, vel grana iuniperi prius in vino maluatico, & aqua roſarum infuſa teruntur dentibus, vt vapor qui expirat ore, corroboret cerebrum, propellatque auram veneficam, vel immutet.

Conditum cardiacum. ℞. conſeruæ ſcordii drachmas tres, lapidis belzoartici triti grana decem, corallorum rubrorum grana quatuor, pulueris vnicornu grana ſex, diamargariti frigidi ſcriptulum ſyrupo e ſcordio, vel angelica excipiantur omnia, & fiat conditum, adiectis aliquot guttulis ſpiritus vitrioli.

Obiiciet quiſpiam medicum imperitum eſſe, vel impoſtorem, vt arguebat Arnaldus Villanoua, qui tantam medicaminum farraginem confundit, cum ſimplicibus percurare poſſit: tot enim difficultatibus implicari pleraque, vt ob eas contemnantur. Secundo cum maximi æſtus incanduerint, præſidia illa commodè vſurpari non poſſe, aduri enim magis ſanguinem, vt ex atrabile carbunculos accendat: exquiret tertio, quis ordo ſeruandus ſit: denique in peſte vanas chimicorum, & medicorum artes detegi, cum ſuis alexiteriis turpi etiam fuga diffidere profiteanrur,

nec

nec raro mera deliramenta, vt Paracelsus, vt Crollius; vt Harmannus; pro alexicacis præstantissimis obtrudant. Respondeo ad primum: Adigi medicum ad operosas alexipharmacorum compositiones moliendas, cum simplicia seorsim sumpta, parum iuuisse animaduersum sit, & simul coniuncta maiore virium copia polleant. Secundo cum in peste, ignauis remedijs nil sit pestilentius, quod dum ea frustra tentantur, pestifera labes cordis arcem expugnet: & æger inter inertes medicorum manus expiret, præstantissima remedia congerere cogimur; nam si, non raro, hæc tanta diligentia composita non sufficiant, quid præsidii à simplicibus expectandum est. Tertio cum pestifera qualitas humanos fugiens sensus, ignota sit, ac lateat nos, quo potissimum remedio profliganda sit, ideo plura in vnum alexipharmacum conflamus. Si quis vero facile parabilia omnino expetit consulimus, vt theriacam, theriacalem aquam, terram armenam, & pilulas Ruffi leui sumptu sibi comparet, pro theriaca rustici, radices, gentianæ aristolochiæ bistortæ, baccas iuniperi, vel lauri singularum vncias duas redigunt in puluerem, croci vnciam vnam, mellis succo scordii diluti, ac despumati libras duas permiscent, myrrham vt pote putredini resistentem, ad vncias duas si eam comparare possint adiicient: dosis erit drachma vna cum succo scorzoneræ, vel oxalidis, vel scordii, vel angelicæ, vel rutæ caprariæ, vel scabiosæ, vel succisæ, vel melis-

sæ,

ſæ, vel carolinæ, vel pimpinellæ, vel valerianæ, vel caryophyllatæ, vel ormini, vel pentaphylli, vel betonicæ; vel cardui benedicti, diuiſim, vel coniunctim, omnium, vel plurium; vt enim exoticis carent, ita diuina prouidentia, inopum miſerta maximam herbarum copiam, aduerſus peſtem, & venena, & alios morbos eximia vi præditarum in quocumque ſolo fundit.

Theriacalis aqua, ſi ex pharmacopœo non ſit comparata, parabitur in agro, ſi theriacæ ſemidrachma in ſucci limonum, ſucci oxalidis, ſucci galegæ, ſucci ſcordii, ſucci ſcorzoneræ, ſucci pimpinellæ, ſingulorum ſemuncia diluatur.

Terra armena aceto roſaceo, & aqua oxalidis, vel ſucco ſcorzoneræ, vel aqua roſarum abluitur, arenulis reiectis, atque exſiccatur, iterumque & tertio abluitur, de cuius præſtantia aduerſus venena; Galenus, Auicenna, Rhaſes, Serapio, & Latini eximia encomia poſteritati commendarunt: doſis eſt magnitudine ciceris, vinoque generoſo albi coloris maceratur.

Pilulæ Ruffi: cum ex tribus tantum; aloe, myrrha, croco, vel ammoniaco, conſtent, facile parari poſſunt, & leuiore ſumptu.

2° Ad ſecundum reſpondeo, licet alexiteria aduerſus peſtem ſint calida, atque adeo ardente ſirio nocitura videantur, aduertendum tamen, eorum calorem, ametria, ſiue immoderatione carere, & conſumpto putredinis apparatu, per accidens perfrigerari corpus, & alexiteriorũ vſu diflari etiam,

ac

ac ventilari facilius, atque per insensiles meatus ignea corpuscula auolare, qua ratione spiritus vitrioli, licet ardentissimus permixtus liquoribus, in febribus ardentibus, & malignis, & pestilentibus, summam vtilitatem afferre comprobatum est, ad quod arcanum illustrandum; repetenda est egregia Galeni sententia lib. 11. meth. medendi cap. 13. *aduersus putredinem succorum excretio, & refrigeratio, & ventilatio, & semiputridorum coctio pugnant.*

Non discutimus itaque, an calida alexiteria, quæ calefaciunt, noceant, sed secundum alios plures scopos prodesse contendimus, quæ nimirum concoquendo putrido humori seruiunt; nam in maximo febrium æstu, natura putridi humoris coctionem meditatur, licet in pugnæ ardore aliquando succumbat: quæ etiam corpus igneis spiritibus facile coeuntibus, atque euanescentibus in auras, magis ventilatur, iuuat, quæ pariter calidum innatum, calidi alexiteriis ad putredinalem calorem edomandum corroboratur, magna vtilitas comparatur; quare Galenus cit. cap. admonet, pugnantibus inuicem indicationibus, & materiis morborum, perpendendum esse, quæ vincat aduersam indicatio; cum itaque æstiuus ardor refrigerantia indicet, putredo pestilens alexiterium calidum contraindicet, necesse est, vt hæc posterior indicatio, priorem vincat: cum tutius sit corpus aliquanto calefacere, quam pestis imminentis discrimini prostituere: adde etiam alexiterii calorem, aquis refrigerantibus, vt oxalidis, & scorzoneræ,

ſucco limonum, & aliis temperatis cardiacis infringi.

Ad tertium reſpondeo, hunc ordinem in alexipharmacis ſumendis ſeruandum, vt theriaca iis potiſſimum diebus ſumatur, quibus aſperari cœlum imbribus, vel borea aerem perfrigerari contigerit: pilulas Ruffi ſumendas cum aluus auara onus ſuum non poſuerit: terram armenam aliis diebus cum vino hauriri poſſe, vel cum ſcrupulo pulueris ſcordii, & angelicæ, & ſeſquidrachma conſeruæ citri: pariter puluis bezoarticus, opobalſamum, ambra odorifera, diamargaritum frigidum, confectio hiacinthina, alkermes, confectio liberantis, puluis imperialis cum conſerua oxalidis commodè accipitur.

Ad quartum reſpondeo, cum Fernelio alios morbos; ita leues, vt ſine vllis adhibitis medicamentis ægri conualeſcant, alios ambiguos, qui periti medici opera depelli poſſint: ab imperito tractati incrudeſcant, vel medica induſtria non adhibita ægros tollant; alios indomitos, qui nulla arte humana debellari poſſint; ita vt omnia alexipharmaca, & chimicorum ſudores, vel pharmacopœorum theſauri, fruſtra conſumantur, quod non ita facile cognitu profeſſus eſt, Hippocrates ingenuis verbis humanam ignorantiam teſtatus *in acutis non tutæ omnino ſunt prædictiones neque mortis, neque vitæ*, quod cum cæteris prudentiſſimis viris commune vitium eſt: ſiquidem, vt ſapiens diuino afflatus ſpiritu eloquitur

in-

incertæ sunt prouidentiæ nostræ in eorum porrò inuictorum morborum numero reponendæ sunt pestes, vt mirum non sit, licet omnia præsidia rectè à medicis peritissimis administrentur, fœlices tamen exitus prudentibus consiliis non respondere: itaque non rectè colligitur, vanas esse medicorum, & chymicorum artes, si diffidant efferum hoc malum domare posse, interdumque fuga sibi consulant, sed eorum artem, in difficillimo, & periculis horrente opere versari: quod vero ad deliramenta à Paracelso, & Crollio, & Hartmanno pro alexipharmacis celebrata attinet, Respondeo licet illi, vtpotè infecti hæresi in magicarum præstigiarum præcipitia turpiter prolapsi sint, nonnulla tamen ab iis chymica præsidia aduersus pestem magna peritiæ gloria fuisse inuenta, non aliter quam Hippocrates, & Galenus, licet in nonnullis magicam impietatem sectentur, naturæ tamen vires, & arcana solerter explorarunt. Inter chymicorum vero inuenta, quæ ab experientia laudem collegerunt, excellit elixir pestilentiale, siue diasulphur, quod in Crollii basilica chymica describitur ℞. florum sulphuris spagyricè præparatorum, vncias duas, oleum e baccis iuniperi elicitum, atque in balneo prius defæcatum (id rectificari vocant) vt trium, vel quatuor digitorum altitudine emineat, affunde, nec non quartam partem olei succini, ita vt terna distillatione in balneo ab omni fœtore vindicatum sit: imponatur vas igni cinerum, vel are-

næ, ac sæpius agitentur flores, vt sine vlla adustione sensim colliquescant: excipe postea theriacæ excellentis mediæ ætatis vncias octo, atque ex ea tincturam optimo vini spiritu prolicito, atque a spiritu vini segregatam serua, eundem vero spiritum affunde vnciis duabus radicum angelicæ, helenii, baccarum iuniperi contusarum, & mixtarum, tincturamque à spiritu vini in balneo sepositam, misce cum tinctura theriacæ, & affunde oleum iuniperinum, & succini floribus delibutum (seu vt vocant essensificatum) chartaque emporetica prius transfusum; omnia denique quindecim dierum flexu in lento cinerum calore circula. Dosis est trium guttarum vini cyatho asperfarum ad prophylaxim, in peste vero correptis à drachma vna ad duas in aceto rutaceo, aqua cardui benedicti temperato: flores autem sulphuris, parantur mixti cum dimidia parte salis fusi, & tantumdem vitrioli, de quo consule Hartmannum in annotationibus ad Crollium. Prolici hoc chymico remedio largissimos sudores experientia confirmatum est; iisdem viribus prædita sunt, oleum camphoræ, & elixir proprietatis, sed in seligendis optimis, præcipuus labor incumbit, cachinno enim, vel fletu dignum est, plura alexipharmaca, vt præstantissima prædicari, nec vllum, quod iuuet in praxi reperiri.

De

De periaptis, & topicis præsidijs aduersus pestem.

CAP. XIII.

AMuleta alia ad propulsandam pestem physicis viribus confirmato corde valent; alia venenum ad se pellicere, atque absumere perhibentur; alia sunt superstitione insana fœdissima; alia pia religione consecrata. Pollent virtute ad venena edomanda, non modo quæ exterius afflantur corpori, sed quæ etiam interius concepta sunt: oleum ex scorpionibus compositum ex descriptione Gregorii Carauitæ Chirurgi Bononiensis, cuius vis mira Clemente VII. & Paulo III. Pontificibus in nonullis nocentibus capitali sententia damnatis probata est, publicique iuris ab Andræa Mathiolo facta in procem. lib. 6. Dioscor.

Sumantur ineunte mense maio, quo tempore conficí debet: olei vetustissimi libræ tres, foliorum hyperici virentis manipuli tres, oleum in vas vitreum duplæ à contento capacitatis imponatur, in quo hypericum aliquantulum antea contusum infundatur, deinde vas cera, & membrana obturetur, & medium tenuissima arena condatur, in loco vbi tota die insolari possit, atque inibi sinatur ad decimum, vel ad duodecimum diem, vsque quo

exa-

exacto tempore mergatur vas in calentis aquæ balneo ad viginti quatuor horas, mox oleum ab herba exprimatur. Hoc facto sumatur hyperici, chamædryos, calaminthæ, cardui benedicti singulorum manipulus, quæ omnia prius diligenter contusa oleo admisceantur, ac subinde vas in prædictum mergatur balneum, tribus continuis diebus: extrahatur deinde, & ab incoctis herbis exprimatur. Post hæc accipiantur florum hyperici manipuli tres, qui probe repurgati, & contusi in prædictum oleum infundantur, ac in eodem balneo per triduum reponantur, post id tempus eximantur, idem fiat ter, aut quater, vsque dum, oleum sanguineum colorem referat, his peractis sumatur hypericum, quod iam defloruerit, & ab eius cacumine grana illa viridia excerpantur, quæ hordeaceis granis similia deprehenduntur, in quibus semen continetur: ex his itaque tres confertim manipuli decerpantur, qui postea tusi, & vino meraco albo aliquantulum persusi, in oleum prædictum infundantur, & cum eodem vitro in arena sepulto octo diebus continuis insolentur: quo tempore transacto tridui spatio, in balneum immittantur, post colentur, & modo prædicto exprimantur. Tertio, aut quarto, similiter dictum semen in oleo macerari debet, donec id obscuri sanguinis colorem repræsentet. Ad hæc sumatur scordij recentis, calaminthæ, centaurij minoris, cardui benedicti, verbenacæ, dictamni cretensis, singulorum medius manipulus. Tundantur omnia,

mer-

merganturque in oleum prædictum, & vas in balneum iterum imponatur per biduum continuum, dein colentur, & exprimantur vt supra. Postea sumantur zedoariæ, radicum dictamni albi, gentianæ, tormentillæ, aristolochiæ rotundæ singulorum drachmæ tres, scordii manipulus tundantur, cum omnia infundantur, & immittantur in balneum, ibique permaneant tribus diebus continuis, colentur deinde, & exprimantur: infundantur denuo styracis calamitæ, laseris cuiuscumque drachmæ sex, baccarum iuniperi drachmæ quatuor, melanthij drachmæ duæ, cassiæ odoratæ drachmæ nouem, iunci odorati, cyperi singulorum sesquidrachma, santalorum alborum semuncia, tundantur omnia (vt pluries de aliis dictum est) & in idem oleum infundantur, & per triduum continuum in balneo macerentur, demum colentur, & exprimantur modo quo ante diximus: postremo adsint, oportet trecenti scorpiones viui diebus canicularibus collecti, ij in vase vitreo conclusi, cineribus calidis superimponantur, & cum eos præ calore sudare, atque irasci constat, omne iam dictum oleum calidum superiniiciatur, sed aduertendum est, ne id adeo feruens sit, vt vas disrumpat: obturato statim vasis ore, in balneo tribus continuis diebus contineatur, deinde coletur, & exprimatur, proiectis interea scorpionibus rursum in oleum infundantur: rhabarbari laudatissimi, myrrhæ, aloes hepaticæ, singulorum drachmæ tres, nardi indicæ drachmæ

duæ,

duæ, croci drachma vna: theriacæ electæ, electique mithridatii, cuiusque semuncia: quæ ex his tundenda sunt terantur, mox vltimo infundantur in oleum, quod per triduum continuum contineatur in balneo, quo facto oleum non amplius percoletur, sed deinceps recondatur, perinde, ac opobalsamum. Vsus illius est, vt tempora qua micant arteriæ, carpi manuum, & thorax qua systole, & diastole cordis conspicuæ sunt illinantur hoc oleo: quod ad corroborandos vitales spiritus ob aromaticorum permistionem valet, ob scorpionum verò natiuam vim, venena trahendi ad extimas partes potestate pollet, non aliter quam elisus scórpio, applicitusque vulneri medetur, quod inflixit, dum virus ne interiora peruadat, ad se allicit: superimponitur vero cordi sacculus iste cardiacus, ex rubra, vel coccinea syndone confectus, refertusque his pulueribus.

℞. flor. rosarum, violarum, nenufaris, damascenæ betonicæ coronariæ, singulorum dramchmas tres, santali citrini odorati semunciam, xylalois, radicis angelicæ, bohœmicæ, caryophyllatæ, enulæ campanæ, corticis citri drachmas duas, dictamni albi, nepetæ, serpylli, polii drachmam, caryophyllorum drachmas duas, cinnamomi semunciam, zedoariæ, doronici orientalis drachmam croci scriptulum dimidium, corallorum rubrorum, & puluisculi gemmei sesquidrachmam moschi, ambræ singulorum grana tria inque pul-
uerem

uem redacta, ac permixta: per quadrangulorum areolas interstincta, interpunctaque in coccineo serico texturæ densioris admouentur cordi, ac ne qua aura venenata in vitæ propugnacula peruadat obstante: interdum etiam aquæ rosaceæ, & naffæ partibus duabus tertia aceti bezoartici leuiter perfusa syndon, recreando cordis æstui permulcendoque adhibetur.

Amuleta quæ trahendi venena innata vi eaque absumendi valere feruntur, sunt hydrargyrus, arsenicum chrystallinum, puluis bufonum de quibus apud medicos ingentes lites concitatæ sunt. Iordanus quidem cap. 9. tract. 3. de pestis phænomenis, Petrus Droetus cap. 8. consilii noui de pestilentia, & Marsilius Ficinus in epidemiarum antidoto tum Saxonia tradunt hydrargyrum auellanæ nucleo ex quo interanea per foramen detracta sint acicula inclusum, obstructoque foramine e collo appensum pestilentem halitum: si quis circa cor oberret ex mutua venenorum cognatione, & sympathia ad se trahere. Hieronymusq; Capiuaccius lib. 6. cap. 37. hunc puluerem pro excellenti arcano habitum proponit,

℞. Arsenici vnciam, dictamni cretici, sinapi, cinamomi, singulorum grana decem ambræ odoratæ, benzuini æquali pondere grana quinque, fiat sacculus sub axilla tenendus. Celebratissimum etiam circumfertur a Ioanne Heurnio lib. de peste cap. 8. a Taberna Montano, a Ioanne pistorio,

Niddano hoc amuletum inuentum a Iacobo Carpensi.

℞. Arsenici chrystallini vncias duas, zedoariæ drachmas duas, croci scriptulum, caphuræ semidrachmam, ex muccagine tragacanthæ infusæ in aqua rosacea, in cordis similitudinem efformetur pastillus qui syndone obductus, e collo appensus cordi admoueatur. Finguntur etiam alii pastilli in oblongi quadranguli formam, qui arteriis carporum applicantur.

Alii, ita amuletum auerruncans pestem componunt. ℞. Arsenici chrystallini vnciam, rubri semunciam, pulueris radicis gentianæ, cyrenaici liquoris, siue asæ dulcis singulorum drachmas duas cum muccagine gummi arabici in aqua stillatitia florum aurantiorum soluti, fiat placenta, inuoluenda rubra syndone.

Sunt qui gloriantur hoc amuleto venenum ad se prolicientes, & cardiacorum permixtione edomante ab eorum qui operam peste affectis locabant corporibus fœlicissimè propulsatam.

℞. pulueris buffonum exsiccati, denique aceto bezoartico macerati, semunciam; arsenici chrystallini drachmas sex; rubei drachmas tres; opobalsami peruuiani, olei e corticibus citri; e caryophyllis æquali mensura drachmam, croci scriptulum aliptæ moschatæ caphuræ, croci, puluisculi gemmarum, smaragdi præparati, hyacinthi, singulorum semiscriptulum: pulueris radicis angeli-

cæ zedoariæ cinnamomi æquali mensura semidrachmam, cum muccagine tragacanthæ in aqua rosacea solutæ fiat pastillus cordi appendendus: qui hisce periaptis siue amuletis muniti inter ancipites furentis pestis tempestates, portum salutis tenuere: cæteris naufragium passis in hæc amuleta, partæ de peste victoriæ gloriam cumularunt. Sed non facile explicant, cur potius his amuletis quam, robori naturæ, & occultæ idiosyncrasiæ, cum peste antipathiam nactæ, quam linimentis cardiacis, quam cæteris alexipharmacis, & prophylaxeos instrumentis ascribant: nam in occultarum proprietatum diffusa caligine, & ignorantia, non causam pro causa a multis ostentari exploratum est: atque adeo Cornelius Gemma de ratione curandi bubones pestilentes, & Hercules Saxonia lib. de plica cap. 53. nec non Ioubertus; Laurentius, & alii horum amuletorum virtutem in dubium reuocarunt: ac certissime constat, multos peste occubuisse, quamuis hisce amuletis instructi forent: quin etiam Horatius Augenius, Hercules Saxonia; Gerardus Columbus, ac plures alii non modo, non triumphatum de peste amuletis venenatis; sed etiam in maximum vitæ discrimen ab his adductos proditosque, cum præsidia illa aduersus pestem ostentata, pretioque comparata in gestantium perniciem verterentur; nam cum ex labore, vel æstu incalescerent, elatus tenuis arsenici vapor in cor penetrans, repentinas syncopes intulit, etiam mortem repentinam illa-

turus, nisi sacculos illos veneficos ocyus proiecissent: illustrique exemplo id perspectum fuit in nosocomio Parisiensi; nam qui sacculum arsenico refertum circumferebat, repente interiit atque in sinistra cordis regione quam sacculus contingebat, insignis liuor deprehensus est: ea itaque re animaduersa visum est frænandam arsenici, vel hydrargyri vim atque adeo calamo inclusere probè cera hispana obsignato, vel capsulæ chalibeæ, vel aureæ ne qüis halitus in cordis perniciem possit erumpere. At si nullus vapor e theca halare potest, ergo nec patebit aditus, qua pestilentem halitum auraque lethali vectam pestem ad se rapere possit: insana vero superstitione plenum est quod Rhenanus finxit, atque ex eodem Sennertus imprudenter libauit, nimirum in iis capsulis cordi appendendis ad cœlestes impressiones malignas auerruncandas insculpendum esse signum serpentis in varios orbes sese circumuoluentis, tum in cœlanda' figura consulendum systema cœli nempe cum luna caput draconis attigerit, in altera vero parte sculpendam scorpii formam, cum luna scorpionem percurret. Simile deliramentum prædicat Paracelsus magicæ artis affectator, in suo zenexto, quod describit Crollius in basilica chymica, atque veluti rarum arcanum, more impostorum commendat, cuius commentator Ioannes Hartmannus in suis scholiis hæc de amuleto huiusmodi pestem auerruncaturo fallacia, &. insana elogia prodidit: *ex mutua operatione oritur sym-*

pa-

pathia vtriusque, quæ postmodum conuersis gradibus, per antipathiam venenis, vsque adeo resistit, & aduersatur: vt ille qui hoc amuletum, de collo tempore pestis suspensum gestauerit, liber prorsus, post Dei prouidentiam, & habendus, & certissimè dicendus sit: id quod experientia, & viua demonstratione callent hi qui veram eius componendi rationem norunt. Hæc ille astrologiam iudiciariam ostentans, vt vanos homines, mendacijs futilibus irretiendos deludat stultaque sui admiratione percellat.

Conclusio 1: Dantur aliqua amuleta, quæ aliquando: non semper tamen, pestiferam auram ad se proliciunt, & immutant physica vi.

Conclusio 2. Amuleta quæ cœlestes impressiones certis imaginibus, certo aspectu syderum affulgente consignata infringere circumferuntur à Paracelso, Crollio, Hartmanno, Sennetto, Rhenano, & alijs Germanis Italisue sunt mera impostorum ludibria, vel magorum inuenta, & si qua facultate pollent, ex pacto cum dæmone moralem traxere, cum nulla vi physica valeant.

Probatur prima conclusio, quædam exterius ad mota iuuare possunt; quæ interius hausta nocerent, cum enim noceant nimia agendi vi, si ea remissior fuerit, vel aliorum permixtione infringatur, non nocebunt: atqui arsenicum tanta siccitate pollet, vt erodat, ergo si non contingat carnem, & ita infringitur eius vis, vt tenuem vaporem in cor fundere non possit, qui acrimonia illud

illud vellicet: iuuare poterit non nocere: non nocebit autem si opobalsamo, vel belzuino conditum, atque muccagine tragacanthæ in aqua rosacea solutæ delibutum viscidìtatem accipit, vt in vaporem acrem attenuari non possit. Si opponatur formam substantialem arsenici esse omnino veneficam. Respondeo formas substantiales non tantum per se sed maximè per qualitates agere: si ergo eæ refractæ sint, vim earum marcescere adde ad agendum molem quandam exigi, at si arsenicum in minores particulas comminutum sit; & cum alijs concretum vim eius obsolescere, vt nocere non possit: tertiò composita, quæ ex multorum commixtione conflantur, formam quandam mixtam comparare, nec si arsenicalis aura noceat, consequi vt cardiacis temperata, & visciditate salubri deuincta noceat: ac ne quis illius vsum pertimescat, Hadrianum VI. Pontificem sæuiente Romæ peste huiusmodi amuleto pectus communiisse ferunt; probatur etiam vicina venena, inærentemque vestibus pestem trahendo iuuare posse; nam pluribus exemplis constat, similibus curari per accidens plures morbos: ita vitrioli spiritus ardens sua natura perfrigerat: dum spiritus feruidiores allicit, & pari ratione arsenicum trahit ad se pestiferum venenum per sympathiam, & dissipat, quod porro venenum aliud ad se euocet, constat exemplo lapidis bufonij, & serpentini corniculi, ac plura prodigia in magnete ferrum, in succino paleas trahente in malacensi lapide sisten-

te sanguinem in iaspide, in ætite, vt in vegetantibus, & inanimatis, insita quædam odia, & insitos amores admiremur: ex huiusmodi etiam arsenici in trochiscum cum cardiacis efformati amuleto naturam ad depellenda venena assuescere, coniectura non caret quod Niddanus obseruauit, vel systolem siue contractionem cordis, scilicet expultricem eius vim confirmari, vt post alios Schenkius suis monumentis tradidit.

Probatur secunda conclusio aduersus Lutheranos illos medicos, qui hæreseos lue inquinati, ad magiæ præcipitia infœlicissimè declinant, tum, aduersus nonullos italicos moriones, qui improbo garritu fascinati, astrologiæ iudiciariæ ostentatores, toties à celeberrimis Episcoporum conuentibus damnatos adorant, & scientiæ opinione tumentes dum se scire simulant. Nulla in imaginibus, & characteribus prout hoc, vel illo tempore, vel hoc, vel isto cœli systemate, syderumue syzigia, aut aspectu sextili, vel quadrato, vel trino, quam fingunt, actiua qualitas inest: vt D. Thomas lib. 5, aduersus gentes cap. 105. vt Pererius in Genesim ex Sanctorum Patrum oraculis, vt Delrio in disquisitionibus magicis demonstrant; ergo figuræ, vel characteres per se nil operari physicè possunt. Quid enim iuuat serpentem circumuolutum in spiras insculpere in amuleto, dum luna est in cauda, vel capite draconis, cum hoc figmentum ex crassissima imperitia oboriatur, cum nulla sit inter serpentem, & caput draconis physica analogia.

sed

ſed tantum grammaticalis, vt de conſtellationibus, quæ variis nominibus inſignitæ ſunt, pro aſtronomorum mera libidine, idem ſentias. Imperitus enim popellus, & nonulli etiam qui tantum olere muſcum, holoſericis tegi, nitere gemmis, vibrare auro, pompas ducere norunt, dum caput, & caudam draconis pronuntiari audiunt, affixum cœlo draconem, efferatum in iras mille vomentem peſtes animo fingunt, ſed illi à Ioanne Peurbachio aſtronomorum Principe quid ſit caput draconis, vel cauda accipiant. *Superficies* (inquit ille in theoria planetarum) *eccentrici lunæ, vt dictum eſt propter declinationem polorum orbium augem deferentium, ſuperficiem ecclypticæ ſuper diametro mundi interſecat; vnde vna eius pars verſus aquilonem, altera verſus auſtrum ab ecclyptica declinabit. Illa igitur interſectio circumferentiæ eccentrici lunæ; cum ſuperficie ecclypticæ, in qua cum centrum epicycli ſuerit, verſus aquilonem ire incipit: caput draconis nuncupatur, cauda vero reliqua.* Sunt ergo caput, & cauda draconis certa puncta cœli; quæ pari libertate pipio, & aſellus, ac caput, & cauda draconis denominari poterant: cur vero luna eam cœli partem decurrente; potius ſerpens, quam ciconia, ſerpentem deuoratura inſculpi debeat, nulla ſubeſt ratio, quam quod clariſſimi impoſtores ita imperarint: præſertim cum Seruatoris imaginem, vt plenam ſuperſtitione conculcarint: in draconis vero imagine cordi admota, dæmonem adorarint. Aniles pariter canuntur nugæ, cum ad

pestem fugandam scorpionem aduersæ parti amuleti inscribendum iubent, dum luna scorpionem dimetietur. O deliras hominum mentes, qui arcana mira in vocibus abdita sibi persuaserunt; num enim illa stellarum multitudo, quæ scorpii nomine ob frigoris vim, quæ septentrionales populos pungere consueuit, dum Sol ad partes antarcticas deflexit: scorpium potius, quam leonem referat, cum antarcticos populos, tum sol ardentioribus radijs perurat: in nominibus ergo inanibus, & imaginum deliramentis, mysteria sua ij medici collocarunt, quibus pestem propulsaturos, thrasonum more gloriantur, & chartis anilia propudia mandant: sed stulta adeo delitia confutare pudet: quæ certè ego ex dæmonum officina emergere sentio: nam ille stultissimus Paracelsus, qui apud chimæricos, vel chynicos potius, quam chymicos medicos, errorum scholam aperuit, in libro de morbo caduco, & libro de cœlesti medicina ex impressione Petri Fomas Basiliensis effutire ausus est, nihil referre; an Deus, Angelus, vel diabolus ægro opem ferat, modo percuretur æger, ac diuina oracula in sensum impium more hæreticorum detorquere non perhorruit: dum abusus est ijs verbis Lucæ cap. 1. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos*, idemque in fragmento de virtute imaginum num. 14. tom. 9. editionis Paltheniane statuit, immundos spiritus ex comparato naturæ lumine, nomina pro herbis vsurpare, idque pro virtute naturali à nobis vsurpari posse:

tam impia vero & insana ebrii hominis placita, infœlici sæculo, quo impietati, & hæresi effusæ erant habenæ, collegere miseri Lutherani, tanquam oracula, eaq; apud exteras gentes scriptiunculis suis peruulgarunt, contra quos expedita sunt a Romanis Pontificibus hierarchiæ terrenæ moderatoribus anathemathismorum fulmina 26. q 5. *Si quis ariolos*, can. *non liceat*, & can. *nec mirum* nec non q. 7. can. *non obseruetis*. Id etiam ciuiles leges vetuere, vt illa quæ exorditur à verbo *præses* §. *medicos* de extraordinariis cognitionibus, nec non Cassiodorus lib. 9. variarum cap. 18. refert Athalaricum Regem in huiusmodi impostores poscentesque ab iis auxilium leges armasse, *qui maleficos* (inquit) *vel eos qui ab eorum nefarijs artibus, aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur*. Si verò Diocletianus, & Maximianus Augusti L. *eorum* C. de maleficiis, & mathematicis: magica remedia humanis quæsita corporibus permiserint, nil mirum est cum illi dæmonum laqueis irretiti, eorum opera vterentur, modo fallacis boni specie, ac lenocinio deluderentur: piè vero, ac eruditè Augustinus lib. 10 de ciuit. Dei cap. 11. edocet dæmones ludificatores animarum, sibimet subditarum, voluptuaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibere, finxisseque obseruatis syderum motibus, & aspectibus, pronunciandas certas voces, insculpendas imagines lapidibus, & animantibus, ac varias notas consignandas: quasi ab influxu syderum dimanent,

nent, quæ à dæmonum vi, & arte fluxerunt: Valeat ergo Paracelsus non tam chymicorum, quam magorum princeps, qui lib. 1. philosophiæ sagacis tom. 10. pag. 167. edit. paltheniana scripsit impiè non minus naturam vires suas in verba, & imagines quam in herbas, & radices transfundere

Conclusio tertia: Exacuenda est potius censorum fidei acerbitas, quam certandum argumentis aduersus eos, qui hoc tempore variis characteribus effictis, amuleta nil profutura sibi, ab aniculis, vel insanientibus comparant ad pestis prophylaxim, nam vt D. Chrysostomus aduersus iudæos lib. 2. eloquitur *funestum medelæ genus est curare corpus pereunte anima* si hæc amuleta ad corporis valetudinem profuerint: sin vero ioco ab authore efficta sint, non iocus, sed scelus est superstitionem æmulari, eaque malè credulos irretire; At de his satis, quæ ad theologum potius quam medicum spectant: qui verò ad spernenda ludibria hæc confirmari velit, legat Epiphanium disputantem aduersus Manichæos, & Pharisæos, Basilium hexameri homil. 1. & 6. Augustinum de doctrina Christiana lib. 2. c. 21. 22. 23. 24. & lib. 5. de ciuit. Dei vsque ad cap. 8. & contra Academ. lib. 1. c. 7. D. Thomam 2. 2. q. 96. art. 4. in corp. Delrium lib. 1. disquis. sect. 4 cap. 4. Barracensem cap. 9. 10. & 26. consulat decreta pontificia, & canon. 21. Concilii Toletani 1. denique Dominicum, e Soto, & Bellarminum cum Ioannem Gersonium euoluat, qui luculentum

commentarium edidit, aduersus medicum montis pessulani, qui morbos exaratis characteribus depulsurum ftiré gloriabatur: & inter medicos Antonium Merindolum academiæ Aquensis ornamentum exercitatione decima.

Conclusio quarta Periapta pia religione consecrata aduersus pestem, non physica; sed morali potestate valent, quatenus diuina misericordia, fide, ac spe gestantis illa, excitata; imminentem pestem auertit, nec tantum pios, sed etiam bruta animantia aliquando ad religionis christianæ diffundendam latius gloriam à peste vindicarunt. Refert enim Baronius ex Prudentij monumentis sæuiente peste, quæ animalia sternebat letho, oues consignatas cruce, incolumes euasisse; & si referente Eusebio in vita Constantini lib. 2. cap. 6. & consequentibus, ac lib. 10. c. vlt. gestata crux contorta ab hostibus tela in medio prælii ardore auertere potuit, cur non etiam piè eam gestantes ab aura pestilente liberare possit? nec me latet hæc à neotericis, vt olim a Iuliano apostata, & Porphyrio derideri: quorum refellitur insania ex D. Thoma secund. 2. q. 96. art. 4 ad 3. ab Abulensi in cap. 30. Mathæi q. 38. ab Holcot. in lib. Sap. sect. 15 ab Emanuele de valle de Moura opusc. 1. de ensalmis sect. 2. cap. 34. n. 15. Eo referuntur sanctorum lipsana, & icunculæ cereæ a summo Pontifice sacra prece lustratæ, si ea qua par est religione circumferantur: non his absimilia amuleta gestabant veteres hæbræi, quæ phylacteria,

nun-

nuncupabant atque a Thalmudistis *thephilim*, & *totaphot* dicta sunt erantque quædam chartulæ in coronæ modum circumpositæ capiti, quibus diuina mandata decalogo comprehensa inscripta erant, vt Lyranus docet.

De insignibus pestium differentijs.

CAP. XIV.

PLura pestium discrimina, misera mortalitas sensit, in quibus percurandis varia vtendum methodo efflorescit, nam præsidia, quæ in aliqua peste ingentem gloriam medicis peperere, in alia exitium sunt allatura: Descripsit Thucydides historiæ suæ lib. 2. pestem, quæ Atticam, & Athenas populata est, cuius Hippocrates, & Galenus meminere, quamque Lucretius lib. VI. carminibus expressit: in hac; phlegmone atrox corripiebat internas partes, ad quas refugiente sanguine, externa, vel frigescere, vel tepere videbantur.

Tantus vero in miseris exarsit æstus, vt multi ore patente in puteales aquas se præcipites coniicerent; diræ huius pestis alia symptomata subiicit: cerebrum efferbuisse, oculos suffusos rubore, pulmonem atrum vomuisse sanguinem, interclusam vocem, denique vitali calore exhausto frigore obriguisse.

Insigne etiam fuit, eosdem sudore circa collum manasse, tenuia sputa croceo colore tincta, ac salsa, cum rauca tussi e flaccescentibus, & marcidis pulmonibus eduxisse. Non potuisse eosdem stragulam vestem, licet leuem tenuisque texturæ sustinere, sed ventos, & frigora captasse refert: ac fœtorem tetrum halasse, non aliter quam cum cadauera tabo diffluunt.

De febris denique huius pestilentis periodo canit poeta octauo, vel nono die ægro periisse: qui hoc pestis genus perpenderit, causum pestilentem fuisse animaduertet: ad quem curandum clysteres refrigerantes, matura sanguinis missio, & sæpius repetita, ad mulcendam flegmonem, æmorroidum apertio, inspiratio aeris frigidi, perfrigerantia, & corroborantia epithemata, diæta frigida, & humida: potus aquæ egelidæ fontanæ, vel medicatæ, tum ad pulmonis phtisim inhibendam, syrupus violaceus, & nenupharinus, denique etiam balnea aquæ dulcis fluuiatilis, & spontanei sudores non coacti conuenerint, adeo vt inter eam pestem, & nostram grauissimum discrimen, siue symptomata, siue curandi rationem spectaueris intercesserit: si causam explorari, ex immodica aeris caliditate, traxit originem, vt obseruat Galenus lib. 1. de differ. febr. cap. 4. *contingit quandoque præcedere ambientis aeris caliditatem immodicam, quemadmodum in ea pestilentia, quæ Athenienses inuasit, vt Theucydides inquit, sed tugurijs suffocantibus, æstatis tempore habitantium*

corpora corruptione laborant: At quia humores corporum, ex victus prauitate erant putredini obnoxij: hinc febribus pestilentibus origo data est. Aliud pestis genus imperante Commodo orbem afflixit, ex succorum in corporibus fame cruciatis, & victu improbo vtentibus ebullientium prauitate oborta, quam describit his verbis e Greco in latinum à me traductis in libro de euchymia, & cacochymia *mali succi alimentis toto vere vesci coacti sunt, ac deuorare extremas summitates, & germina arborum, & ruborum, & bulbos, & radices plantarum prauos succos gignentium, irruere etiam in olera, quæ vocantur agrestia, quibus, vt sors ferebat potiti, intemperanter ad satietatem ijs se farciebant, vti & herbas virides integras decoquentes vorabant, quas nunquam prius, vel experimenti gratia degustarant: cernere itaque erat, eorum aliquos extremo vere, ineunte autem vere ferme omnes scatentes multimodis vlceribus in cutis superficie erumpentibus, quorum non idem erat genus: alia enim ex his erant erysipelatodea, alia phlegmonodea, alia serpentia alia lichenes, alia scabiem, alia lepram referentia, quæ vero mitius per cutem effloruerant exanthemata, cacochymiam ex visceribus, & imis partibus exhauserant: in nonnullis carbunculi exorti, & phagedænæ longo temporis flexu grassatæ plures extinxere: vt vix paucissimi ex his superfuerint; quinetiam sine cutis morbis, plures febres incanduere, quæ excretiones alui graueolentes, & erodentes desituras in tenasmos, & dysenterias pariebat, nec non vrinas*

fæ-

fœtidas, interdum vesicam exulcerantes fundebant, nonnulli ipsorum sudoribus graueolentibus, aut abscessibus putredinem fundentibus, morbo sunt soluti: obierunt vero omnes quibus, nil horum obtigit; vel cum manifesta alicuius visceris phlegmone, vel propter magnitudinem, & malignitatem febrium: cum vero nonnulli medici ausi essent in morbi principio venam secare, quippe iure extimuerant eo præsidio uti; quod vires ægrotantium dissolutæ essent, nullius videres sanguinem optimum fluxisse, qualis ex sanis corporibus hauriri conspicitur, sed vel nimio flauo colore, vel atro, tinctum, vel nimium serosum vulnusculum acuto, & mordaci humore perfusum, qua dissecta est vena, ægrè coalescere: nonnulli vero præsertim perituri, his symptomatibus correpti sunt; non constabant mente, aut vigiliis cruciati, aut veterno oppressi, nec mirum erat; ægros contrariis morbis, & symptomatibus corripi, cum non solum naturæ proprietate; vel ætate; sed etiam vsurpata antea victus ratione admodum different; *famis,* enim, *tempore varia alimenta contraria prædita facultate esitarant.* Hactenus Galenus, qui lib. 5. meth. medendi cap. 13. modum edocet, qui in percurando eo pestis genere obseruandus erat *qui ex pestilentia* (inquit) *laborarunt, propterea mihi facile sanati videntur, quod præsiccatum iis, præpurgatumque totum corpus fuerit: quippe cum, & vomuerint ex iis nonnulli; & omnibus venter profluxerit; atque cum ita iam vacuati essent, iis qui euasuri erant, pustulæ quas exanthe-*

mata vocant, nigræ, toto corpore confertim multæ apparuerunt: vlcerosæ quidem plurimis, omnibus certè siccæ, eratque intuenti perspicuum, reliquias eas esse sanguinis, qui in febri putruerat; quas veluti cinerem quempiam, natura ad cutim trusisset; sicuti alia ex superuacuis nonulla trudit. Verum medicamentis ad eiusmodi exanthemata opus non fuit; cum siderent sua sponte. idem lib. 9. de medicamentorum facultatibus, cap. de terra samia, ait in magna ea peste sanatos, qui medicamen de bolo armena ebibissent, nisi omnino incurabiles extitissent, idem etiam tradit persanatos plures, quibus suris scarificatis sanguis detractus fuisset, ex quibus colligas percurandæ illius pestis methodum, in vomitu mouendo, in purgante pharmaco exhibendo, in scarificandis cruribus, aut hirudinibus venis æmorroidalibus applicandis, tum vesicantibus ad expultricis facultatis vim excitandam, nec non in alexiterijs veluti bolo armena, & theriaca prudenter exhibendis, vel sudore prouocando constitisse.

Meminit idem Galenus alterius generis pestis, quæ hecticam inferebat, ipsamque corporis substantiam depascebat, in calce lib. 10. Methodi medendi, quam accuratius lib. 3. de præsagitione ex pulsibus cap. accuratius describit, ea scilicet peste correptos vix febrim qua peribant persensisse. *Nunc quoque in maxima pestilentia accidit, quod quidam ab initio ad finem vsque, alij per totum morbum probum pulsum habebant, qui perparum deflexisset de*

natura, qui quidem præter cæteros perierunt: animaduertimusque eos primis statim diebus, & pestilentia laborare, & pessimè affectos esse, ex acredine caloris, atque ipso caloris genere, denique quod pulsus præter naturam, immutati ijs in eo statu perpetuo maneant, nam in genus hecticarum, quas vocant, febrium incidunt, huiusmodi pulsus. Si qui essent inter ægrotos, qui se negarent febricitare, his occupato ipso cordis corpore plane confirmata erat, & vt ita dicam in habitu, etenim febrium hecticarum, duo hæc sunt propria signa, si perpetuo sibi illæ similes sint, nec inuasionem vllam accessionis, nec incrementum, nec vigorem, nec remissionem habeant, nec febricitare se percipiat ægrotus, hos pulsus nihil est necesse, maiores iusto, atque interim ne celeriores quidem esse, at omnino celeres tamen: itaque iure censuerunt plurimi medici, atque præstantissimi, celeritatem febricitantium pulsibus perpetuam esse sed de his inferius, quod in sermone præteriuimus, vbi aer, quem spirando attrahimus, infectus putredine fit, ac putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulsus fiunt, nec iam quidquam habet admirationis, si eos pulsus quos memorauimus tali peste affecti habeant, nec si pestilentem halitum fundant, nec si omnino morituri sint: quam enim excogites medicinam, ad putredinem quæ cor occupauit? nam quibus calor hic putridus ad humores, quos continent cordis sinus vniuersus deflexit, non autem corpus ipsum visceris, multi horum fuerunt superstites. Deprehenduntur affecti hac peste, si febrem primum percipiant, deinde si non æqualiter perpetuo

petuo febricitent, ad hæc si pulsum non habeant prævalidum: siquidem qui intemperiei comites sunt, corporis ipsius cordis imbecilles sunt omnes.

De hoc pestis genere meminit Auicenna lib 4. fen. 1. tract. 4. cap. 2. *Quandoque* (inquit) *est de his febribus pestilentialibus in qua non percipit æger, nec tangens propinqus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus magna alteratione; & cum hoc ipsa est interficiens velociter: & hæsitant medici in esse eius, & plurimi, quorum anhelitus fætet, ex istis moriuntur, nam putredo, est iam confirmata in corde.*

Hoc pestis, genus, anno MDXXV. grassatum Lugduni, & Viennæ refert, Montuus lib. 7. Febr. cap. qui peste correpti erant, se immunes à febre opinabantur, pulsus moderatis similes habere visi, vrinasque contentis, & consistentia non illaudabiles fundere: qui tamen omnes occubuerint; visi inquam pulsus moderatis similes, ob contentorum in ventriculis humorum, & cordis temperamenti repugnantiam, nec immutatæ vrinæ non affecto hepate, cum lues circa cor hæreret. Pariter Alexander Benedictus lib. de pest. cap. 12. refert insidiatricis, & blandæ pestis genus, Venetiis incruduisse, nimirum Marcum Antonium Cornelium Patritium, effuso leui per membra calore ementitæ amphimerinæ speciem præbuisse, cumque salutis signa omnia medicis affulgere viderentur, frigido sudore circa caput, ac cerulceem manante repente extinctum, cumque vulgus inscitiæ

conuitiis proscinderet, medicos; repente sæuissima lue correptum. Confirmat hæc simili exemplo Beniuenius lib. abditorum cap. 54. Philippum Strozzam febricula lenta tentatum, repente die septimo, in paralysim & causum incidisse, paucisque diebus vsu vocis amisso,& spasmo conuulsum obijsse: ita Procopius ad annum DXLIV. de peste Constantinopolitana tradit *Tussis quædam ab initio vsque ad vesperam leuis erat, adeo vt nullo adhibito medicamento, nullius opinionem periculi præberet.*

In hoc pestis genere phlebotomia, & pharmaca vix conueniunt: cum imbecillitas cordis ea non toleret: quorum loco clysteres, lenientes, & cucurbitulæ scarificatæ succedunt, egregie vero reuellunt à corde, si ex Francisci Valesij consilio internis brachiorum pulpis affigantur: epithemata corroborantia regioni cordis admoueantur; subministrentur interna alexiteria; cardiaci syrupi dentur, aer thalamo contentus, aceto, & aqua rosacea temperandus: caphura, santala, alijque suaues odores spiritus refecturi naribus adhibendi: tum cibi optimi succi, sæpius in exigua mole offerendi, ne grauent nimia mole stomachum, neque ob victus inopiam; siue diætæ tenuitatem, æger in syncopem concidat: dumque contenti ventriculis cordis, humores cor exagitat; vesicantia brachiorum, & tibiarum pulpis apposita reuellere venenatam labem ad partes remotas queunt: tum hydrotica alexipharmaca per cutem exhau-

rire, at vbi ipſam cordis ſubſtantiam peſtifera aura peruaſit: irrita ſunt omnia remediorum genera, cum repente præcipiti virium lapſu, extremos ſpiritus exhalent; quod peſtis genus in Gallia Narbonenſi, anno MDXXXIV. ſæuiit; teſtaturque Valleriola locorum communium lib. 3. cap. 18. vidiſſe nonullos, qui dum incederent, aut verba conferrent, cum aliis, veluti fulmine afflati, repente maximo adſtantium terrore conciderint, alios pariter occubuiſſe, qui nec in vrinis, nec in pulſu, nec in functionibus exercendis, vlla aduerſæ valetudinis ſigna præbuerint, idem Gemma lib. 1. cap. 17. coſmocrit: idem Salius lib. I de peſte, cap. 5. idem Guaynerius lib. 1. cap. 1. de peſte, idem Cardanus in comm. ad lib. 5. aphor. Hipp. teſtantur: idem in Burdegalenſi peſte, quæ aui mei materni temporibus, vrbem pene exhauſit populo, ciueſque fortunis liberalioribus auctos diſpulit in agros, contigiſſe accepimus: confirmat etiam Otto Morena laudenſis in hiſtoria Frederici I. nam cum vrbem obſidione cinxiſſet, effuſo plurimo imbre, & calore æſtuante, peſtis ſæua incanduit, quæ exercitum illius miſerè abſumpſit, *in qua* (inquit) *qui manè ſani per viam ambulabant, ſtatim per viam eundo, vel parum iacendo moriebantur*, & Theophanes de peſte, quæ Conſtantini Copronymi tempora fœdauit, ſubijcit: *Eodem die aliquis mortuum efferebat; & ipſe mortuus efferebatur.*

Alia ſunt peſtium genera, quæ medicas re-

spuunt manus, atque Sacerdotum tantum precibus, & numine placato, & Sanctorum implorata ope, ablura lachrymis conscientia, exputoque intercisis piis singultibus crimine, auerruncari possunt. Rideant hic athei, qui expolitiore ingenio florere putant, si cuncta suis sensibus brutorum more dimetiantur: Reuoluat quisque pius, ac prudens diuinæ vindictæ prodigia, quæ in veterana Ecclesia impios oppressere, non contractam nunc diuinæ iustitiæ manum certum est, vbi reos ferire visum est, ita Agathonis Papæ temporibus sagittas contortas cœlo, visas in eos, qui peste interibant, refert D. Gregorius, ita Procopius lib. 2: de bello persico, dæmonum tristes laruas se obiecisse, ac percussisse iconoclastas Constantinopolitanos tradidit, quod prodigium inepto cauillo eleuat Cardanus: dum lib. 2. de subtilitate statuit, ægros phrenitide laborasse, sed ex Euagrio lib. 4. cap. 28 enitescit diuino iudicio concitatam pestem, quæ die Hypapantes, imploratis Deiparæ suffragiis sedata est, cum illa suis precibus vltricia tela, ex diuinis manibus excussisset. Sæpius blasphemiæ crimen pestes conflauit, vt nouella Iustiniani 77. refert, *Propter talia delicta, & fames, & terræmotus, & pestilentiæ fiunt*, interdum sacrilegia luem excitarunt, Agathias enim lib. 2. scribit Iustiniani imperij anno 29. ob spoliata sacra templa, Germanos, & Francos peste percussos, ac Bucellinum, & Leutharem eorum duces in rabiem efferatos, membra suis manibus discerpsisse. Nicepho-

cephorus pariter lib 18. cap. 28. 29. scribit Auares anno DC peste percussos cum D. Alexandri Martyris sepulchrum violassent. Plura sunt alia pestium diuinitus immissarum exempla, ad quas auertendas Gregorius Magnus, qui suis precibus Vrbem peste liberauit, adeo vt ex cœlesti viso Hadriana moles ob vltricem gladium vaginæ redditum ab Angelo. D. Angeli nomen vulgò traxerit optima antidoto pios munit lib 8. ep. 41. *Inter flagella positos digna committere contra ferientem est specialiter superbire, & seuientis verius iracundiam irritare, atque est primum genus dementiæ, nolle quempiam à malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à sua velle vltione cessare*, nec id modo sacri Pontifices, sed etiam politici præstantissimi aduertere, inter quos Carolus Magnus capitular. lib. 1. his consentanea præcepit aduersus luem non expectato imperiali edicto diuinam misericordiam implorandam, idque ingentibus sæpe prodigiis ostensum: insigne est exemplum apud D. Gregorium Turonensem lib. 4. hist. Franc. cap. 5. *Cum lues* (inquit) *inguinaria Treuericum populum in circuitu ciuitatis valde vastaret, & sacerdos Dei pro ouibus commissis misericordiam Dei imploraret, assiduè: factus est sonus de nocte magnus tanquam tonitruum validum super pontem amnis, ita vt putaretur vrbs ipsa absorberi, cumque omnis populus exterritus in lectulis resedisset, lethiferum sibi interitum opperiens, audita est in medio vox, vna cæteris clarior dicens, & quid hic ò socij faciemus?*

ad

ad vnam enim portam Eucharius sacerdos obseruat, ad aliam Maximinus excubat, in medio versatur Nicesius: nihil hic vltra praeualere possumus, nisi sinamus hanc vrbem eorum tuitioni. Hac audita voce statim morbus quieuit, nullusque ab ea vltra defunctus est: vnde non ambigitur, virtute memorati antistitis fuisse defensam, idem sanctus archipræsul. lib. de gloria Confessorum cap. 79. scribit Rhemenses pestem propulsasse, cum instructa solemni pompa D. Remigij lipsana per Vrbem circumtulissent, & in vita S. Galli docet, Aruernenses eius præsulis opera, à pestis grassatione vindicatos: reuocatus Constantinopolim à Iustino iuniore S. Eutychius pestem Constantinopoli depulit, referente Eustathio, Principes Apostolorum teste Beda lib. 4. cap. 14. Angliam peste liberarunt: D. Sebastianus, pestem, vt tradit Baronius ex vetustis monumentis; olim Roma dispulit. Lemouicenses, anno MXXIX. cum Diui Martialis sacra pignora in loco honorificentiore reposuissent, vt Gaufredus narrat pestem sæuientem propulsarunt: Iuuenali etiam Vrsino teste, cum D. Hippolyti reliquiæ in fano S. Dionysij adornatæ, sacra pompa circumductæ essent: lues repressa est: Natalis comes commendauit Historiæ, superioris sæculi anno LXXV. restinctas fuisse pestis funereas faces cum populi, senatusque Veneti Princeps, templum Christo Seruatori, nuncupato sacramento spopondisset, denique Panormum, Diuæ Rosaliæ Virginis insigni miraculo à pe-

stis grassatione vindicatum. Plura alia exempla silentio inuoluimus, cum hæc Theologis recensenda relinquamus. Certandum enim ijs est cum nouatoribus, qui scientiarum primis rudimentis tincti, fastuque asperata fronte, & impudenti cachinno hæc traducunt; mox enim obiiciunt blasphemo ore: propulsatas etiam impia superstitione pestes fuisse, atque à Tito Liuio monumentis Romanorum consignatum, pestem fœliciter depulsam, cum dæmonem in serpentis imagine, inaudito fallaci Æsculapii nomine ab Epidauro euexissent, illique templa posuissent. Adriani quoque VI. temporibus sopitam Romæ pestem, cum Demetrius Spartanus superioris sæculi anno XXII. taurum magico fascinatum carmine, execto cornu tænia leui circumduxisset per Vrbem, atque in Capitolio dæmoni pestis auerruncatori immolasset, vt Paulus Iouius, Episcopus Nouocomensis, Georgius agricola lib. 2. de peste, Bizarrus in historia Genuensi, & alii plures, vt facti memoria aboleri nequeat, typis mandarunt.

Respondeo ad 1. ante Christi aduentum dæmones humanum genus varijs artibus delusisse, vt diuinos honores a miseris extorquerent, pestemque curare visos, cum ab ea inferenda abstiterent, ac turpissima mendacia ab Ethnicis in impiæ superstitionis laudem subornata fuisse; eas vero patuisse fraudes, cum iustitiæ sol humanæ carnis nube inumbratus affulsisset; adeo vt, impius Porphyrius Æsculapii artes in depellenda peste, viresque

abolitas planxerit cum de peste decennali, quæ ob effusum Christianum sanguinem, ab vltore numine immissa, vastabat imperium, loquutus, stultam hanc querelam fudit. Nunc (inquit) *mirantur per tot iam annos ciuitatem morbo correptam teneri, cum neque Aesculapij, neque aliorum Deorum sit amplius ad eam accessus; ex quo enim Iesus coli cœptus est, nullius sane mortalium publicam Deorum vtilitatem persensit.* Hæc impia delira- menta; ita refellit Theodoretus in calce lib. 12. de euangelica veritate: *Porphyrius scribit, homo Christianis maxime inimicus: at manifeste tamen confessus Christum suo aduentu Deos gentium potestate cassos reddidisse; itaque post salutiferæ crucis mysteria, Christoque irrogata supplicia, nec Aesculapius generi humano imposturas molitus est, nec eorum quisquam qui falso Dij nuncupantur, omnem siquidem illorum cœtum non secus, ac nocturnam lucernam, sol oriens in tenebras ire compulit.* Hæc Theodoretus.

Ad secundum respondeo historicos memoratos falsa veris permiscuisse; nam Demetrium magum, inscio quidem Adriano VI. tempore impietatis acerrimo hoste, & ignaro flagitii Cardinalium senatu, aliquorum atheorum magistratuum gratia suffultum explicuisse artes magicas, atque inter nefanda sacra; vt ferunt vetera manuscripta; conspecta dæmonum spectra per inane discurrere, in varias animalium formas transfusa; at pestem post scelus patratum grauissimam exarsisse, quæ-

situmque iussu pontificio, vt rogis dederetur, magum, opera consciorum procerum aufugisse: furente vero peste Romanos largo lachrymarum imbre perfusos, Christi numen implorasse, B. Virginis imaginem composito agmine religioso circumtulisse, ac non sine cœlesti virtute pestem restinctam: Lutheranos vero, vt Romanam nomen in odium adducerent, nefandam calumniarum nubem, quasi magicæ artes Romæ colerentur, effudisse, quibus nonnulli leues Itali, fidem stultè adhibuere, adeo vt nænias impiorum exscripserint. At de his satis nunc alia pestium genera prosequamur.

Anno salutis MCCCXLVIII. teterrimum pestis genus exarsit, cuius contagio, adeo fuit efferata, vt Cortusiorum historia lib. 9. cap. 14. hæc memoriæ propagarit. *Hanc quidam infecti de partibus orientis detulerunt. Hi solo visu, vel tactu, vel flatu omnes occidebant: erat hæc infectio incurabilis, non poterat euitari: vxor fugiebat amplexum chari viri, pater filij, frater fratris, & e conuerso: talium domus, & vestes occidebant: Sepelientes, portantes, vel videntes subitò multoties expirabant: sic quis infecta inficit totum gregem: sic vnius domus decedentem vnum, semper moriendo cæteri sequebantur, vsque ad canes, corpora etiam nobilium remanebant insepulta*, nonnullis interiectis, ita describunt Cortusij huius beluinæ pestis symptomata *erant pessimæ alij infecti, vt supra: quidam euomendo sanguinem expirabant: alij subito alij morbo*

cancri, vel vermis, in signum vero mortis quasi omnibus nascebantur glandulæ circa genitalia, vel sub brachijs, vel alijs partibus febribus venenosis sociatæ: Hi prima, vel secunda die expirabant, post tertiam licet raro esset aliqua spes salutis, aliqui somno capti nunquam excitati transibant. Contra hoc medici palam profitebantur, se nescire remedium, quorum hac peste potissimma pars defecit. De eiusdem pestis atrocitate Petrarcha, qui tum viuebat, hæc scribit; *quibus hoc unquam annalibus lectum est, vacuas domos, derelictas vrbes, squallida rura, arua cadaueribus angusta, horrendam vastamque toto orbe solitudinem, consule historicos, silent? interroga physicos, obstupescunt? quære a philosophis, humeros contrahunt, frontem rugant, & digitulo labris impresso silentium iubent: credet ista posteritas cum ipsi qui videmus, vix credamus* tot illa pestis mortales sustulit, omnis sexus, & ætatis, vt de centenario numero vix decem in aliquibus locis orbis, in aliis vix quinque superstites euasisse, anonymus vitæ Clementis VI. author retulerit: vsum vero hac antidoto fertur in veteri M.S. illustris D. Ioannis Baptistæ Mari Romani collegiatæ Ecclesiæ S. Angeli in foro piscium canonici. ℞. boli armeni, terræ sigillatæ, singulorum semidrachmam: myrrhæ, aloes epaticæ lotæ cum aqua endiuiæ, æquis singulorum partibus drachmas tres, croci, lignialoes, maceris, caryophyllorum, cuiusque semidrachmam: radicum tormentillæ, dictamni albi, radicum

car-

cardui benedicti, singulorum scripulos duos: corticum citri, seminum citri, singulorum sesquidrachmam: cinnamomi electi drachmas duas, seminum portulacæ, seminum lactucæ, singulorum sesquiscriptulum: corallorum rubrorum, santali albi, & rubri, singulorum drachmas duas; ossa de corde cerui: numero quatuor; cornu cerui vsti semunciam, magisterii smaragdorum granatorum, rubinorum, hyacinthorum, limaturæ eboris singulorum grana xv. caphuræ scriptulos duos; redigebantur omnia in puluerem, cuius sesquidrachma diluta, vnciis duabus aquæ scabiosæ, & tantumdem vini generosi alternis matutinis hauriebatur: altera verò luce hisce pilulis fertur Clementem vsum.

℞. Aloes zocotorinæ drachmas sex, myrrhæ drachmas tres, croci semidrachmam: rhabarbari electi drachmas duas; spicæ nardi scriptulum, corticum citri drachmam; tormentillæ semidrachmam: seminum acetosæ, santalorum rubrorum, æquali singulorum mensura drachmam, corallorum rubrorum sesquidrachmam: caphuræ scriptulos duos, boli armeni drachmas duas. Concinnabantur pilulæ cum syrupo e citro quarum dosis erat drachma vna.

Guido verò e Cauliaco, qui tum medicæ artis gloria florebat, in hac peste percuranda, frigidum, & humidum victum imperabat, adeo vt carnium, & vini vsum abscinderet, ptisanam saccharo rosaceo condiebat: si vires ægro sufficerent

rent lactucas, portulacam, hordei, & amygdalarum dulcium emulsiones, malagranata, limones, & omnia acetosa ad temperandum sanguinis feruorem offerebat; sin debiles vires essent, ad eas confirmandas iusculum pulli, lactuca, & omphacio conditum porrigebat: ad partem praui humoris exhauriendam venam secabat, ex eadem parte: aut si ætas phlebotomiam non ferret, cucurbitulas affigebat: tumidam partem leuibus conscissionibus sulcabat, ne venenum internas partes penetraret; in cubiculo aperto, ac splendido ægrum collocabat, vociferationes imperabat, paucos, & leues somnos carpere sinebat, vt scilicet a centro ad periphæriam venenati humores efferrentur: ad cor vero confirmandum ante venæ sectionem aduersus malignæ labis impressiones excellentem theriacam aqua scabiosæ stillatitia, vel rosarum, vel buglossi dissolutam, vnius fabæ magnitudine propinabat sex horis post sumptum cibum, si necessitas non vrgeret; nam si illa premat, non cunctandum ex Auenzoare in principio thesauri, censebat: Ita vt nec alium cibum, nisi euoluto totidem horarum flexu porrigeret, in eo memoratum Auenzoarem, & Auicennam sequutus, quorum prior septem, vel amplius, posterior nouem horarum interuallum præcepit, ne pharmacum permisceatur cum cibo, cum obseruet Auenzoar, ex ea permistione anxietates, & dolores increscere: porro digestio tum in stomacho, tum in intestinis octodecim horarum flexu integrè

per-

perfici consueuit, ex Alberti Bononiensis obseruationibus: cordi vero epithemata ex rosarum, violarum, & buglossi florum stillatitia aqua santalis, & iuleb e corticibus citri condita: si etiam febris non ita exæstuaret coccineum pannum, coccinæ phicæ succo, ac melissæ, & mari aqua stillatitia, nec non croco imbutum adhibebat: bubones vero, & anthraces ita perdurabat: ne enim venenum internas partes repeteret, buboni, vel anthraci electica imponebat: circumiacentesque partes, bolo armena, aceto, & oleo myrtino, vel rosaceo omphacino macerata muniebat: ad proliciendum porro venenum, animalia, quæ illud exsugerent applicabat, aut cucurbitulis, & quia vis mali non patiebatur inducias, atque extremis malis extrema remedia ex Hippocratis oraculo adhibentur, non raro cogebatur ignito ferro anthracem inurere, circumiectas etiam partes conscindebat, scalpello, & aqua salsa calenti persundebat vulnuscula, vt facilius sanguis difflueret farinamque orobi, & fabarum, syrupo acetoso subactam superinijciebat; modo etiam cauterium potestate vrens, quod potentiale vocant, ex arsenico confectum apponebat, digestiuo postea vsurus. Si ad maturitatem tumor perduci posse videretur, ex ficubus fermento, & sale permixtis, cataplasma fingebat; tumorque liuescere, ac disrumpi secunda, vel tertia emplastri permutatione consueuerat: Alii ex Auicenna emplastrum ex ficubus, vua passa, nucibus, & farina hordei cum

vino

vino coctis, ad promouendam maturitatem adhibebant. Iamerius etiam, radices, apii, ranunculi, scabiosæ, rostri porcini, marrubium, farinam frumenti, feminis lini, mel, oleum, axungiam veterem cum vino decoquebat, ad saniem vero vlceris detergendam emplastro e succo apii, melle, & farina incoctis vtebatur. Guido denique diachylon, vt ad cicatricem paulatim perduceret admouebat; At licet omnia ex artis præceptis fierent, pauci incolumes ex peste adeo efferata euasere: Descripsit eandem pestem Mussatus nobilis Patauinus historicus, obseruatque dissecto corde vermiculum e substantia illius putrescente progenitum, illud arrosisse, nonullos etiam viciato pulmone cruoris vndas vomuisse: causam tantæ pestis, tribuebat Petrarcha diuinæ iræ humanis criminibus asperatæ lib. 8. ep. famil. 7. *sicut longum iter agentibus euenit, vt alia viæ pars fatigationem faciat, alia fateatur; sic nobis accidit, vt lenitas tua Deus humanis paulatim lassata criminibus, & iugi accessione prægrauata nunc potissimum victa subsederit; tuque nos vector optime tolerare amplius non valens, in terga proieceris, atque a nobis misericordiæ tuæ oculos, iratus auerteris quod si est, non nostrorum modo, sed paternorum simul criminum pœnas damus, an peiores illis nescio, sed certe miseriores*. Mirum fuit plerosque etiam pueros, adeo pietatis sensu fuisse in publico luctu delibutos, vt mortis acerbitatem, ex leui proximæ æternæ fœlicitatis prægustu delitiarum, &

trium-

triumphi genus arbitrarentur *ferunt* (inquit) Nauclerus generatione 45.) *solatio fuisse huic tanto luctui quod pueri innocentes morituri plerique, & iubilando, & gaudendo laudes Dei dixerint: peccatores priusquam sentirent vim pestilentiæ, totis animis pænituisse, adeo vt etiam vltro mortem expectarent.*

Aliud pestis genus annum MCCCCXXXVII. funestauit cum Eugenius IV. Basiliensis conciliabuli nouatores, quorum signifer erat Ludouicus Cardinalis Arelatensis, Ferrariæ Concilium pro Imperatore Palæologo, & Græcis Ecclesiæ Romanæ gremio restituendis coegisset, nam triremes quæ Pontum Euxinum sulcauerant, vt ex Trapezuntino imperio florentissimos doctrina præsules in Italiam subueherent, cum fixissent anchoras; vt ob æstum aquationem nouam facerent, quotquot ex quodam fonte bibere, die tertio sanguinis corrupti stillas vomentes periere: exceptis dein portu Veneto triremibus, primum Venetiæ, postea Ferraria ea peste correptæ fuerunt: adeo vt Eugenius œcumenicam synodum, Florentiam traducere coactus fuerit.

Conficiebatur aduersus hanc pestem antidotus, ex terra armena prius aqua rosacea, & vino odorifero, siue aceto excellenti, vt poscam, referat macerata: Dosis erat vnius drachmæ cum aqua rosacea, & vino maluatico, vel si febris periculum non deesset, cum syrupo ex acredine citri, vt Gentilis, & Termisonus præcipiunt, traditque

Michael Sauonarola lib. de febribus pestiferis Seniorem Mediolani Ducem, quo tempore sæuiebat pestis, hac antidoto se communiisse fœlici successu, vetuisseque ne aulici ipsum adirent, nisi illius præsidio instructi: cum vero pulmones maximè affici in ea peste animaduersum esset (nam quædam venena quandam potissimè partem feriunt, vt cantharides adeo vesicæ sunt infensæ, vt gestatæ in pera etiam mictum sanguinis prouocarint) phlebotomiam in pulmonum morbis expertum præsidium medici adhibuerunt, nec non syrupos e pulmonaria, e toresolis, e consolida propinarunt. Tum ad infringendam veneni vim solita alexipharmaca porrexere: tum ad prauam materiam alio deriuandam fonticulos consuluerunt.

Nouum, ac veteribus incognitum aliud pestis genus, Angliam excurrente anno millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto depascere cœpit, quam hydronoson Græcanico nomine, alii, sudorem Anglicum appellarunt, vastataque annorum quadraginta flexu insula, Belgium, finitimumque Galliæ limitem, Germaniam, Daniam, Noruuegiamque peruasit. Describit hanc pestem Erasmus harum calamitatum spectator in epistola ad Carolum Vtenhouium, ex quo forestus in scholio obseru. 7. lib. 6. digna posterorum memoria decerpsit. *Hoc malum* (inquit) *exitiale ad aliquot temporum interualla nouum exortum est, annis iam fermè quadraginta Anglis peculiare, vbi cum primum grassari cœpisset ignotum, nec medicorum ars*

quidquam adferret, tanta vis hominum extincta est, vt vix crederetur eam insulam à tam multis incoli, nec semel ortum cessauit: quælibet enim aspera bruma, licet subinde remittatur, scintillans dumtaxat; rursus identidem sic increscens, vt parcat nemini: non aliud malum horribilius, nec contagium periculosius; habet tamen illud boni, quod non excarnificet hominem diutinis cruciatibus, intra duodecim horas, interdum intra pauciores, aut tollit hominem, aut certam vitæ spem præbet: atque initio quidem, vt fit festino, affligit sudore, sed igneo odoris teterrimi: visum est ex amne phlegetonteo emissum hoc malum. Vngues potissimum excruciat, alas, ita comprimit, vt etiam si velis, non possis attollere, qui feruoris erant impatientes, & auram largius admittebant, hi ferè subito extincti sunt: rursus alij cum animaduerterent, id compluribus infæliciter cessisse, dum in diuersam tendunt rationem, in idem tum exitium inciderunt, nam occlusis rimis omnibus, & excitato igne copioso, opertique stragulis, quo magis tutiusque sudarent, æstu præfocati sunt. Præsentius tamen exitium adferebat admissum frigus: tandem reperto temperamento multo plures ab eo morbo conualuerunt, quam extincti sunt: tamen tanta lues, nondum eo tempore inuenit nomen, nec vllum efficax ab arte medica remedium hactenus repertum est.

Pestis huius symptomata erant lipothymia, virium languor, oris ventriculi morsus, anxietas, cephalalgia, pulsus creber, celer, & inæqualis:

denique sudor graueolens toto corpore manans, nec inter ephemeras censeri poterat: licet viginti-quatuor horarum flexu deferuesceret, cum largissimus ille, & fœtidus sudor, non tantum spiritus accensos, sed etiam humores putredinem concepisse argueret: qui nimirum maximo naturę adhuc robustæ, & lacessitæ impetu pellerentur, causa vero ex aura venenata, quæ humores exagitabat aperte fluxerat: cum Tyengius medicus Amsterodamensis obseruarit 27 Septembris anni 1529. sole medium flectente axem, nebulam obscurasse aerem, moxque efferam hanc pestem incanduisse, quæ infantili, & senili ætati visa est parcere: inter elodeas febres de quibus Hippocrates eam nonulli retulerunt: sed cum adstantes sua contagione inficeret tum immediatè, per aporrhiam, siuè effluxum pestiferum, tum per fomitem: non inter malignas puras febres, sed inter pestes recensenda sunt.

Pestis huius curatio in venæ sectione, & purgatione constabat: si natura repentè sudorem non moueret; sin excerni sudor inciperet, non ille naturæ motus confundendus, sed promouendus erat belzoartico puluere; theriacali aqua, speciebus liberantis: Et quia maximus ardor ægrotantem adurebat, ita ille recreandus erat, ne vires deficerent, ac leuanda insana sitis, vt tamen sudor non reprimeretur, ad hos vero scopos guttatim infusa hæc potio erat accommoda.

℞. hordei mundati florum nenupharis, viola-

rum æquis partibus singulorum dimidium manipulum, cardui benedicti, pimpinellæ, borraginis, buglossi, passularum, exacinatarum, æquali mensura pugillum vnum. Ficuum numero decem lentium excorticatarum, drachmas septem, laccæ ablutæ, & mundæ, drachmas quinque, tragacanthi, drachmas tres, zedoariæ, dictamni radicis, tormentillæ, singulorum drachmam, fiat decoctio in aqua nenupharis, & buglossi, cui à coctio addebatur sescuncia syrupi, e limonibus. Instillabatur vero tepida, nec modo temperabantur humores, atque ad excretionem parabantur, sed etiam inflammata membra humescebant, ac venefica labes corde depellebatur.

Aliud pestis genus anno MDLXXVI. afflixit Italiam, ac pene Venetias compleuit funeribus, de qua Natalis comes lib. 27. historiæ suæ hæc posterorum memoriæ mandauit. *Nascebantur prius tumores in femore, aut sub alis, aut in brachijs, qui vbi excreuissent, intra quatriduum necabant, subsequentibus malignis febribus; postea natæ sunt glandulæ in coxis pestiferæ, e quibus plurimi sanabantur*, & infra *cœpit suboriri magna multitudo nigrorum morbillorum, quas petechias vocant, e qua lue nemo prorsus euadebat, cum omnes illa correpti perirent*: & infra *cœpit deinde tantopere sæuire vis morbi, vt quidam per noctem præsertim tanquam furore perciti, quocumque impetus ferret, cum maximis vociferationibus discurrerent, nullumque, vel aquæ, vel præcipitis loci periculum deuitarent*, &

infra

infra *cum propter copiam mortuorum cadauera non possint omnia auferri, & vel triduum in domibus relinquerentur, cæpit fætor in vrbe vicinis esse molestus, quare multi cogebantur vrbem relinquere, excauatæ sunt fossæ amplissimæ, vbi corpora multis ordinibus calce, & terra tegebantur, donec fossæ essent repletæ, qua re putabantur facilè absumi.*

Et pluribus interlectis de sapientissimis legibus à Senatu veneto editis pro arcendo contagio, ne per commercia hominum pestilentem anathymiasim spirantium, vel per fomitem latius diffunderetur, vtque malefici è carceribus emissi sint, vel e triremibus abducti, promissa libertate, si quodam temporis spatio diligentem operam sepeliendis cadaueribus nauarent, addit eos in funebri eo ministerio defecisse. *Ministri* (inquit) *quoque ipsi nausea, & fætore vexati peribant in lintribus.* Aucta denique adeo est vis morbi, vt omnes morbi verterentur in pestes. & sine vllo pestis signo repente homines exanimati conciderent. *Dum vis morbi* (inquit) *in vulgus ignobile, ac vilem plebeculam tantum sæuiret tamquam in pauperes, propriam aream omnium miseriarum, res apparebat ferri æquiore animo: at vbi in atria patritiorum, potentiorumque ædes penetrauit, omniaque humana auxilia frustra sunt absumpta: cæptum est non mediocriter trepidari illam luem, non aliunde quam ex diuino consilio propter peccata mortalium contingere,* & infra. *Cæpit vis morbi denique sic incrudescere, vt omnes ægritudines quæcumque esse cæpissent, mox*

in hunc lethiferum conuerterentur, cum scabies, & vulnera, & quæuis vlcera fricando concepta fierent pestilentia: alios tunc repentina vis veneni necabat; vt neque vllum signum natura posset emittere, vel post mortem, cum intra breuissimum spatium expirarent: & cæ. Certarunt medici, an pestis hæc foret epidemica, an per contagium, tantum serperet: eademque Neapolim admodum afflixit. Cæterum cum finitima ditio pontificia institutis legibus grauissimis magistratuum diligentia à tam effera peste fuerit vindicata epidemicam non fuisse putandum est: cum maximè seruarentur ii, qui ab omni ciuili commercio semoti erant: In ea verò obseruandum est quantumuis Venetus Senatus prudentissimas leges pro intercidendo contagii progressu sanxisset eas à vi mali fuisse delusas cum serius latæ essent: potissima enim prudentiæ pars, ac vti dicā basis ipsa diligentia est, in anteuertenda peste: nam furenti huic belluæ quis fræna iniicere possit: excubandum itaque est ne erumpat e cauea.

Obseruandum etiam est in ea peste, prius tumores pestiferos erupisse, quam febrim, integris enim adhuc viribus florentem naturam, à principibus partibus in emunctoria veneficam labem depulisse: retrocedenteque praua materia, vel per continuas partes agente, aliquot dierum flexu succubuisse. Obseruandum tertio, vbi summa est veneni vis, tum nullum pestis signum, in viuo, vel extincto reperiri, vt pessimæ pestis signum

sic

sit conspicuum : si nullum reperiatur : Siquidem hostem præpotentem , & fallacissimum insidiatorem puta : si arcem impetu cęperit , antequam expediri arma à milite præsidiario possint : atque adeo pestilentiæ tempore suspecti sint omnes, qui repente fuerint extincti, quantumuis nulla pestis signa in ijs conspiciantur, satius enim est timere vana, quam noxia non cauere . Obseruandum quartò exanthemata illa, siue maculas vulgo petechias, quæ in extima cute efflorescebant, longè discrepasse ab alijs, quæ sæpissimè sine pestis suspicione inficere, corpora consueuerunt, malignæ tamen febris argumenta præbent.

Ad ferinam hanc pestem auertendam (inquit Natalis Comes) *in loca tuta liberiora, & apertiora recedentes, genio indulgere cæperunt, alij solam moderationem victus esse remedium horum malorum, putabant: alij sobrietatem, & temperantiam animi, & corporis*. Succesit his fœlicius quam his, qui medicorum antidotis præfidentes in vrbium angustiis peste inquinatis hæserant: vocatus est à Senatu Veneto, Hieronymus Mercurialis, qui tum medicæ scientiæ oraculum habebatur, is fœlicissimi ingenii, & doctrinæ reconditæ, thesauros explicuit, iubebat igne odorato purgari aerem, suffitus suaues in aulis principum, theriacæque vsum imperabat, solum aceto, & aqua citriorum irrorabat, inhibebat labores vehementiores, veneremque; terrorem quo frangi solent cordis vires concipi vetabat, victum præcipiebat mediocrem, te-

neri

neri aluum solutam imperabat, esum fructuum leguminumq; damnabat, iuscula carnium omphacio, oxalide, & aqua rosacea condita commendabat; fonticulos, surarum scarefication es, phlebotomiam in morbi principio tantum, purgationemque præscribebat; purgantibus resistentia putredini permiscebat, misso sanguine iusculum ex porrigebat: electuarium ex boli armeni scriptulo, pulueris scordii dimidio, conserua citri sesquidrachma, ante cibum extollebat: cor linimento muniebat confecto ex vnguenti sandalini vncia, pulueris pimpinellæ, scordii, myrrhidis singulorum scrupulo: succi citri drachmis tribus: Pilam odoriferam tractandam ægro dabat: ex lignialoes, santalorum, scordii, æquis singulorum partibus drachma vna: cinnamomi, nucis myristicæ, scriptulis duobus, galbani, ladani singulorum drachmis duabus; & oleo florum aurantiorum composita. Sudores proliciebat semiscripulo lapidis belzaartici, & si maculæ nigrescerent variegarent, ad prauum humorem trahendum ex Aetii obseruationibus inunctionem parabat, ex nitri drachmis duabus; olei chamæmelini vnciis duabus, & aquæ chamemelinæ vnciis quatuor, Vesicantia etiam ex puluere cantharidum ad deriuandos a principibus partibus malignos succos imperabat. Conficiebat etiam syrupum ex succo scordii, cuius libras tres permiscebat cum duabus libris decoctionis foliorum nymphææ, sonchi, borraginis, acetosæ, pimpinellæ, florum, rosarum,

borraginis, citri, seminum citri, & acetosæ: denique sacchari libras quatuor miscebat, & pauxillo moschi condiebat, cuius syrupi sescunciam cum aqua borraginis, vel oxalidis, vel iusculo diluebat. Sed licet hæc, & alia summa arte moliretur, ars tamen illusa est a pestis ferocia: adeo vt ex ea pertractata maiorem ignominiam, quam gloriam retulerit: empiricis enim in eum calumnias aggerentibus abscedere Venetijs coactus est.

Vexarunt orbem plures aliæ pestes in quibus percurandis, vel ob putredinis proprietatem, siue occultam malignam qualitatem, siue formam substantialem ipsius veneni, vel vtriusque varietatem, modo hæc modo illa remedia profuerunt; adeo vt Galenus lib. 10. de simpl. facult. scribat in Syria quandam pestem vrina humana persanatam, addatque in cap. de terra samia terram armenam præstantissimam aduersus pestem antidotum extitisse: At Ruffus ephesius pilulis suis pestem domuisse gloriatur, & compertum est: quæ in vna peste iuuerint, in alia peste exitium accersiuisse; animaduertendum itaque est a medico cum pestis aliqua incrudescere cœpit: cum qua tandem e præteritis analogiam sortiatur. Ferax extitit ætas nostra pestium, vti bellorum, ac tribus annis certo interuallo recurrentibus, vidi ardente æstate, vel appetente autumno pestem incandescere, præsertimque cum luna suum orbem delinearet, vel impleret, interdumque dum attenuata ad coniunctionem solis prouolaret magnas

stra-

strages edidisse: quæ vero hoc anno ineunte vere Neapolim deliciarum olim theatrum, in funerum catastam, arcana, sed iusta, & supplice planctu adoranda numinis vltione vertit: inguinariarum pestium generi annumeranda, immanique prorsus veneno horrere censenda est: cum non modo carbunculis ægrorum corpora ardeant: inguina bubones lethales inflamment: verum etiam nigris exanthematibus aspergant: quæ ita in extima cutis peripheria efflorescere cernuntur oculis, vt etiam internas partes inquinent: nam dissecta cadauera hepar, pulmonem, intestina, nigri maculis interstincta, cor vero atro sanguine concreto luridum præbuere, vt medici senatus Neapolitani programmata die secunda iunij edita promulgarunt. Si ergo formidanda est pestis carbunculis efferata turgidaque bubonibus: si exanthemata nigra, intimas partes peruadentia terrorem inferant: quis non iure horreat geminas pestes in vnam coaluisse: adde ita vomitum, cephalalgiam, deliriumque coniungi, vt pro ætatum, sexuum, temperamentorumque, vel causarum varietate, symptomata admodum inter se pugnantia conspiciantur, eoque peruentum mali, vt nulla mali signa in aliquibus qui repente exanimati conciderunt apparuerint: cum lues repente vitæ principia extinxisset: tantarum calamitatum pompam cum vir pius spectaret, ac tetram hanc pestem, flagellum Dei esse agnosceret, supplicibus etiam osculis diuinas virgas adoraturus, nescio quo

impulſu: doloris abſorptus nube, numerales Romanas literas quæ in hac voce FLAGELLVM DEI pinguntur inter ſe compoſuit, ac ſeclufis ijs litteris, quæ in ſupputandis numeris nulla vi pollent: reperit, præſentem conſignari MDCLVI. certè Neapoli trecenta hominum millia ſub hoc flagello animam fudiſſe referuntur, pluresque eodem percuſſæ vrbes finitimæ lugent; inque ipſa Chriſtiani Imperii vrbe regia, terrificus auditur illius fragor, ac latè vberrima funerum ſeges horreret: niſi Alexandri VII. & ſacri Cardinalium Senatus indefeſſa virtus immortalem gloriam ex auerruncato a populo Romano exitio collectura, in excindendo peſtifero contagii ſemine ſeſe exerceret: Sed his miſſis percurandi beluini morbi methodum aggrediamur. Cum varias, in variis peſtibus curandis, methodos obſeruatas demonſtratum ſit.

De Methodo medendi inguinaria peſte correpto.

CAP. XV.

DIligentia coniuncta periciæ, medici decus, & ornamentum eſt; ac ſi in cæteris morbis ob occaſionis fugacia momenta, ob experimenti anceps diſcrimen; ob iudicij difficultatem, medicam explicare opem maximæ ſit ſolertiæ: tum maxime in peſte intendenda eſt a medico diligen-

ligentia in qua succurrendi occasio in momenti vnius acie, plerumque pendebit, in qua remediorum varietatem experiri non licet, in qua iudicia, nisi funesta occurrunt; in cæteris enim morbis, errores interdum graues emendantur ob inducias, quas natura cum morbo pasciscitur; in peste vero, vel leuis error exitium parit: si quis ergo ex symptomatum pesti coniunctorum syndrome, & alijs signis, quibus illius dignosim tradidimus, tentari peste prudenti medico videatur: si forte post cibum illum pestis adorta sit: vti nos etiam aliquos, cum quibus vescebamur repente peste correptos vidimus, mox vomitus lenis imperandus est; nam, qui in corpus ingesti sunt cibi, cacochymiam, seu prauorum humorum fœdam proluuiem, cum stomachus, & hepar à seminibus pestilentiæ infecta sint, cumularent: ex qua morbi symptomata longè grauiora incrudescerent: Ius prouocando vero vomitu sunt hæc accommoda remedia: in primis terra lemnia si genuina non suppositicia habeatur, quæ inter eximia alexipharmaca recensetur, & vomitu concepta pestis semina corpore depellit, vt Auicen. tract. 2. de medicim. cordial. testatur q & confirmat serapio cap. de terra sigillata.

℞. Terræ lemniæ, drachmam dissolue in aquæ scorzoneræ vncus tribus, aquæ rosarum sescuncia, aceti albi semuncia; detur tepidè, ac si vomitus succedat, magna salutis spes concipitur: si non successerit etiam veneno resistet:

Non

Non me latet obiecturos aliquos terram illam sigillis turcicis pictam, & in magdalia conformatam non esse eam, quæ a Dioscoride, vel à Galeno miris laudibus celebratur dum tradit plerosque eius ope a peste vindicatos, & lib. 9. de simplicium medicamentorum facultatibus rubram fuisse describit, quæ vero communi vsu peruulgata est albescit, adeo vt suspicionem eam conceperit Mathiolus lutum illud, quod bolum armenium appellamus, esse veterum sphragida lemniam. Respondeo terram albi coloris, quæ a Turcis arabico charactere insignitur modo adulterata non sit, non contemnenda aduersus venena virtute a summo conditore hominum casus miserato indita pollere, atque Augerius Busbequius Cæsaris apud Turcam orator, ea propinata Adrianopoli liberatos peste vidisse in suis diarijs memoriæ commendauit. Fortiora porrò vomitoria, vt quæ e guttæ gummi granis sex, vel ex cataputia, vel ex gratiola, vel ex infuso antimonii constant quantumuis pulueris aurei, vel aquæ benedictæ nominibus speciosis subornata sint: defugienda decerno contra medicorum Neapolitanorum placita, cum in peste vires frangi nimium, ac debilitari, humoresque nimia procella perturbari consueuerint, tum facilior aditus ad cor veneno pandatur. At obiicitur Mathiolum in comment. ad cap. 59. lib. 5. Dioscoridis orbi testatum reliquisse: in ea peste quæ anno superioris excurrentis sæculi sexagesimo secundo, & tertiò Bohœ-

miam

miam vexauit, quam plures pestilentia affectos, persanatos fuisse, qui antimonii hyacinthini ex ipsius descriptione grana quatuor, cum antidoti liberantis drachma, in principio morbi deuorarant Aquę etiam Benedictæ vsum, seu vomitoriam Rulandi ingenti prodigio, plures effuso prauorum humorum amne percurasse; eius vero compositio, quia per plurium ora, magna encomiorum pompa stipata volitat, ita describitur. ℞. vitri seu florum antimonii, seu croci metallorum grana vi. vel plura ad xii. macera in aquæ scorzoneræ sescuncia, vini vncia, aut si vrget necessitas simul ebulliant: adde aquæ cinnamomi drachmas ii. ac per chartam emporeticam transfusione facta porrigito: nec non paulo post iusculum carnis, vt facilius vomat. Aqua vero cinnamomi ita paratur. ℞. cinnamomi contriti vncias viii. radicum Angelicæ zedoariæ, enulæ campanæ singularum sescunciam, aquæ rosarum fragrantissimæ libras iv. vini generosissimi sesquilibram: digere 24. horis: & aquam stillatitiam prolice. Comparant ijdem syrupum vomitorium hoc artis lenocinio. ℞. aquæ vomitoriæ vnc. iii. aquæ rosaceæ vnciam, pulueris cinnamomi drach. i. digere in vase clauso 24. horis inque colatura calenti dissolue sacchari vnc. iv. dosis a semuncia ad sescunciam.

Respondeo ostentari hæc ab ijs magno fastu quasi humanæ salutis arcana e cœlo acceperint, qui sibi chymico nomine lenocinantur, at licet

in

in aliqua peste epidemica, quam ingens prauorum humorum apparatus pepererat, hæc iuuerint in septentrionalibus oris: in quibus corpora, ob antiperistasim frigoris, maiori virium pollent robore, non tamen in his regionibus opem allatura: si ergo vomitus forte concitandus videatur leniora vsurpanda: veluti quod ex semuncia electuarii diasari, vel ex vncijs duabus oxymellis, & decoctione florum anethi camomillæ, meliloti, genistæ, foliorum narcissi, seminum raphani, & rapi drachma, & radice raphani in taleolas secta comparatur: blandius etiam vomitorium est ex iusculo carnis, & oleo communi, vel vncijs tribus amygdalarum dulcium recenter expresso, sufficit etiam aliquando iniecta penna oleo irino delibuta gulam titillasse ad proliciendum vomitum, qui eo facilius excitatur, quod natura facilè in ventriculum humores exoneret. Profuit etiam pluribus peste laborantibus robustis tamen in quibus prauorum humorum copia redundabat vitriolum Romanum præparatum cuius scrupuli duo, vel drachma in aqua buglossi vncijs tribus, vel in conserua violarum, aut rosarum dantur. Hoc vero artis lenocinio præparatur: Accipitur vitriolum admodum exsiccatum, ac dissoluitur aqua dein vbi in vaporem pars aquæ euanuit in fundo subsidet in forma salis.

Obiicies ex Hippocrate aph. 22. non purgandum in principio, vel si purgandum sit per loca conuenientia purgandus est æger, sed os non vi-

de-

detur locus conueniens, quo purgatio exeat, secundo peste correpti vomitu, & nausea affligi consueuerunt, ergo prouocato vomitu non debilitandus est stomachus; sed potius confirmandus. Tertio in peste ægri cephalalgia tentantur: ergo non est prouocandus vomitus; ne tetri halitus, & vapores in caput confluant: quo debilitato reliquæ etiam facultates flaccescent. Respondeo Hippocratem; Galeno interprete assentiri purgandos humores, cùm turgent: etiam in morbi exordio: atqui turgere solent humores in peste, vt certa experientia constat, vt vidimus sæpius, atque etiam ipsi aliquando sensimus: illæ enim angustiæ, & inquietudines, quæ tum repente oriuntur, ex humorum orgasmo emerserunt, quippe humores malefica labe inquinati a parte in partem propelluntur, quæque enim pars insita facultate, propulsare a se malum enititur, quod Galenus eleganter in commentario eiusdem aph. 22. sect. 1. describit. *Humores plerumque in motu vehementiore, atq; transfluxu ab vna parte ad aliam, in morbi principio hominem infestant, mouentes titillantes, & quiescere non permittentes, cum & ipsi pariter moueantur, & transfluant, & tanto motu de loco ad locum ægrum molestent: tales itaque humores euacuare conuenit.* Turgentibus ergo humoribus; quod inquietudo, molestia, & cruciatus ægri indicant, differre purgationem nocet, teste Hippocrate, Galeno consentiente, magistra ratione, experientia duce, & exploratrice. Iam vero

quod vomitu summa cum fœlicitate natura humores depellat, ita illustratur: eadem parte natura uti, sed etiam ad salutem animantis abuti solet, quod facili enumeratione si oratoriæ partes suscipiendæ sint illustrari potest; ita os ingerendis cibis potuique hauriendo dicatum est, eo tamen ventriculo, hepati, lieni, pancreati, ac finitimis partibus expurgandis natura abutitur; itaque ea loca ad purgandum non sunt accommoda, vt obseruat Galenus in commentario aphor. 21. sectionis 1. *quando vel, vel aliquem habuerint suapte natura principatum, & maius ex ipsis damnum est subsequuturum quam morbus qui iudicatur, expostulet: vel nullam habeant effluxionem, exempli gratia, vbi hepar humores infestant quos oporteat euacuari, duæ sunt accommodæ motiones: prima per ventrem, & huius illa, quæ per aluum inferiorem: altera quæ per vomitum melior existit, secunda per renes atque vesicam.* Si ergo hepar humorum, quos venefica vis exagitat, affluxu obruitur, expultricem vim intendit, atque venenatos humores in ventriculum vti iis excipiendis ob cauitatem idoneum transfundit, hæc vero pars, cum venenatum humorem non toleret, pariter à se excutit toto conamine, cumque aliud os ad superna pateat, vergat aliud ad inferna. Hinc sæpe vidimus in medio pestis ardore ægros, partim per superiorem, vt loquar cum faceto Plauto gutturem partim per inferiorem fœdam humorum proluuiem, tristi labore, sed læto exitu effudisse: huiusmo-

iusmodi vero excretiones violentas moliebantur, qui naturæ erant picrocholi, nimirum iuuenes ad contrahendas rixas procliuiores, ardentes bile, maximè vbi per æstatem temeraria fructuum sagina, dum temperare sanguinis ardorem vellent, se onerarant: Hæc animaduertens Hippocrates lib. 2. de de morbis, ita medicos instruit. *si vomitiones ipsum vrgeant, vomat.*

Ad secundum respondeo, si æger vexetur vomitu: iam non prouocandum ad vomitum: sed tum si refertum cibis, vel humores ex reliquo corpore in stomachum effundi conspexerimus, atque a viribus petendam, medendi rationem; nam vomitu nimio discruciato, emplastrum e crusta panis tosti aceto infusi, e descriptione montagnanæ pulueribus cardiacis aspersum imponi, allini oleum absynthiacum cydonorum, & mastichinum præcipimus, theriacam alchermitn, & confectionem hyacinthinam offerimus, de quibus inferius.

Ad tertium respondeo verissimum quidem illud esse ob vomitum debilitari caput, dum tetri vapores in illud irruunt, quare Hippocrates lib. 2. de morbis, ait, *post vomitum dolet vniuersum corpus*: sed tænia vinctum caput minus eos suscepit, tum licet vomitus, molestum sit expurgationis genus, tamen illud, malum maiore fructu, & compendio redimi; nec non vomitum, curari vomitu, vt docuit Hippocrates lib. 2. epidemior. sect. 9. text. 29. *vomitus,* inquit *solutio, aquam calidam potui dare, & vomat*, quod lib. de locis in homine

repetit, *huic ob vomitum, vomitus sedatur*, idem confirmant Aretæus lib. 2. de signis morborum cap. 3. & Galenus in commentariis in lib. 6. epidemiorum: patet rei causa, nam si praua, & venefica materies, tunicis ventriculi inhæserit, nisi vomitu; interdum etiam vehementi excuti nequit, quare sublata causa, vomitus vomitum curat, in cuius aphoristici oraculi commentario, Franciscus Valesius hoc obseruat. *Hæc sunt*, inquit, *per se similia, ex accidenti contraria, vt alia multa in arte.* Par est curandi ratio cum profluuium, & dysenteria clysteribus, & expurgatione curantur: si causam exquiris, iterum respondebit Galenus in comment. lib. 6. epidem. *vna curandi ratio est, causam excindere*. Cum non succedit vomitus, materiem turgentem in intestina deriuasse iuuat iniecto enæmate: ex Hippocratis in lib. de internis affectibus sententia, cæterum si vomuit æger, posca abluendum est illius os, mox alexipharmaco corroborandus, veluti theriacæ, mithridatii, confectionis hyacinthinæ, aut alterius portione, cum aqua rosacea, & syrupo, e ribibus, vel e radicibus angelicæ, vel acredine citri, tum cardiaca epithemata cordi allinenda; nec non acetum belzaarticum naribus admouendum.

Si non transfluat sponte in superiorem aluum humor, in inferiorem detorquendus est; nam si phlebotomia necessaria est; siue sudorem ægro prolicere molimur crassioribus excrementis prius æger expurgandus est: enæma ergo iniiciatur ex hac,

hac, vel simili formula.

℞ maluæ, violariæ, lactucæ, mercurialis, singulorum manipulum i. sennæ drachmas tres, agarici, trochiscati drachmam: seminum carthami, drachmas duas, fiat decoctio in colaturæ vnciis x. dissolue mellis rosacei solutiui vnc. iii. olei scorpionum vnc. ii. fiat clyster, retinetur ita diutius in minori quantitate; caueto etiam, ne nimium calidum clysterem iniicias, nam vires admodum, dissoluit, & laborantem discruciat, tepeat ergo blandiusculè, oleum vero è scorpionibus valere ad trahendum, proliciendumque ex intestinis, & circumstantibus partibus venenum constat, vt enim elisus scorpio, impositusque vulneri medetur, quod ex sympathia cognatum ad se venenum trahat, ita etiam oleum e scorpionibus cognata vi simile ad se rapit, vel si res vrget.

℞ iusculi carnis, vel decoct. emollientis communis libram: mellis mercurialis, vncias duas; catholici vnciam, diacassiæ drachmas sex, salis gemmæ semidrachmam, vel communis sesquidrachmam, fiat clyster.

Electo enæmate, controuertitur an sanguis detrahendus sit, sciunturque in contraria studia medicorum antesignani, nam aliqui contendunt, certa, & explorata experientia comprobatum: eos interiisse, quibus peste laborantibus, sanguis demptus fuerat: conualuisse vero, qui alexipharmacis, siue theriacalibus muniti probè fuerant; experientiam suffulcit ratio, nam qui laborat peste, viribus defi-

deficit, ergo non debilitandus est secta vena, sed antidotis confirmandus: tertio in peste, quæ contagione serpit, æger ab externo corpore, pestis semina contraxit, quæ primum extimas, partes obsident, antequam penetrent intimas: si ergo venam secueris, venenum pestilens, ad intimam cordis arcem expugnandam adduces. Quarto in peste motus humorum à centro ad periphæriam, motui circumferentiæ ad centrum anteferendus est: nam prior motus est victricis, & triumphantis naturæ, hostiles humores fortiter propellentis; posterior vero fugientis, ac sub tyrannide hostili succumbentis argumentum: atqui secta vena humores, ad internas partes refluunt: ergo is motus naturæ potius exitium, quam salutem portendens, defugiendus est. Quinto in his, qui bubonibus venereis laborant, detractus sanguis sæpissimè nocuit, vt bubo, vel subsideret, vel ad suppurationem perduci non posset: ergo à minori ad maius, cum bubones pestiferi intumuere, erumpunt carbunculi, exanthemata, vel echtymata, vel stigmata, vel vibices, vel maculæ, quas vulgo petechias vocant in extima corporis periphæria efflorescunt, sanguis eliciendus non est; ne illi bubones ad maturitatem perduci postea respuant, carbunculi virus suum foras effundere absistant, stigmata maculæ, & exanthemata deflorescant. n.

Concludo in peste celebrandam esse phlebotomiam, si plethora adfuerit: ex galenico axiomate, lib. 11 method. c. 15 *omnibus febricitantibus sangui-*

guinem detrahes in principio: *si valeant viribus*: tum vero maximè; si ex humorum apparatu improbo, vel obstructionibus, pestifera humorum putredo concepta fuerit: nec omnes pestes eiusdem esse generis, sed in aliis nocuisse phlebotomiam: in aliis salutem attulisse: vti in responso ad aduersarium illustrabitur: capiendum itaque a medico in arena instar gladiatorum consilium; an huic ægro phlebotomia obfutura, huic profutura videatur, nec enim negauero aliquos dum se iactant, non esse æmophobos, carnificinam aliquando impunè exercere: detracta vero prudentiæ legibus sanguinis sarcina, reliquam partem facilius domari, vt Galenus aduersus Erasistrateos disceptat; atque in commentario 1. in lib. 3. epidem. Hippoc. text. 2. edocet ex Hippocratis oraculis, & obseruationibus in omnibus magnis infestantibus morbis, semper missione sanguinis vtendum, cum ætas pariter, & ægri vires consentiunt: quod nitidè idem in comment. 4. in lib. de victus ratione in morbis acutis explicat, in 19. textum ab Hippocrate his conceptum verbis. *In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, & ægri floreant ætate, iisque robur adfuerit.* Præterea phlegmones interdum incandescunt in peste, in quibus percurandis phlebotomiam esse pernecessariam ex omnium sententia efflorescit.

Concludo 2. si virium debilitas suspecta fuerit, ne misso e venis maioribus sanguine, cordis robur intercidat, scarificationibus in suris vtendum, vel

vel cucurbitulas corneas affigendas, ac deinde scarificandas, si ad ambitum corporis materia venefica propellatur, confirmatur hoc experientia, & ratione. Experientia quidem: nam maximi authores, vt Herodotus apud Oribasium, & Galenus scriptis tradidere; sæuiente peste eos conualuisse, quibus sanguis scarificatis suris fluxisset: ratio vero patet, quia optimum est, veneficam materiem longissimè à partibus principibus reuellere: egregiè vero illa reuellitur scarificationibus, vt tradit Galenus in lib. de reuulsione. *Si ab altera (* inquit *) ad alteram partem deducere materiam volumus: sicuti scarificatis cruribus affecto capiti medemur: sique exuberans materia, in corpore minuenda est.* Hirudines etiam ano affixæ, maximo sunt adiumento: nam cùm atra bilis in peste redundet, melancholicum sanguinem hac arte detrahere iuuat: præcipue si æmorroidum consueta euacuatio suppressa fuisset.

Concludo 3. Si phlebotomia exercenda videatur, ac bubo pestilens in inguine eruperit, tunc saphænam illius partis secandam: nam qui in brachio venam incideret, venenum ad cor traheret, visum etiam est peritis, cucurbitulam prius buboni affigendam: si forte vesicatorium applicitum non fuerit, ne pestilens bubo subsideat. Si bubo axillam obsederit, vel carbunculi in pectore, vel collo, vel capite eruperint: e brachio proximo, sanguinem detrahendum periti censent. Si in dorso anthrax incanduerit: e saphena pedis externa

detrahendus ſanguis, & clunes cucurbitulis vexandæ, atque ſcarificandæ ſunt, in quibus moliendis reuulſionibus, ſemper illud ab Hippocrate decantatum, vt ſecundum rectitudinem villorum reuulſio fiat perpendendum eſt: ſi bubo nondum eruperit: etiam tutius eſt, è ſaphæna interna, quam ex brachio ſanguinem detrahere: vt natura facilius ad inguina peſtilentem humorem protrudat. Iam contraria argumenta diſcutiamus.

Ad primum reſpondeo, concedere nos varia eſſe peſtium genera, atque animaduerſum aliquando citiùs interemptos, quibus ſanguis miſſus fuiſſet, exemplum inſigne eſt apud Ambroſium Paræum lib. 21. cap. 24. quod Schenkius lib. 6. obſeruationum ex eo repetit. *Anno Domini* (inquit Paræus) *ſeſquimilleſimo ſexageſimo quinto, qui annus toti ferè Galliæ, peſte peſtilentibusque morbis ferus, & funeſtus fuit, ex omnibus vrbium, per quas Carolo IX. Regi iter, Baionam erat, medicis, & chirurgis, diligenter, & ſtudioſè ſciſcitatus ſum: quid ægris ſucceſſiſſet, ex purgatione, & phlebotomia, vna voce reſponderunt: ſe ſedulo omnes peſte correptos, quibus liberaliter ſanguis detractus fuerat, & corpus validè purgatum, deterius inde habuiſſe, tandemque interijſſe: reliquos quibus ſolis alexiterijs prouiſum eſſet, fere cunctos euaſiſſe:* Hæc ille quod etiam animaduerſum in grauedine anheloſa, vt ex purgatione, & ſanguinis detractione deterius ægris ſuccederet, tradit. Scio etiam ob-

seruatum in Mediolanensi nosocomio, cum effera illa pestis Diuum Carolum Borromæum exercuit, vt diuini amoris thesauros magnificentissimè explicaret, cœloque reponeret: phlebotomiam ancipitem, & periculi plenam extitisse, idemque fallopius in præfatione de tumoribus; in ea peste, quæ annum MDXXVIII. funestauit, contigisse testatur. At econtra Hippocrates libro vi. epidemiorum sectione 7. ait, *bubones plurimi fiebant, quod vena iecoraria laboraret*: Laborasse illam copia, eaque maligna; inrerpretatur Franciscus Valesius: idque conspicuò argumento erat, quod plures sanguinem exulcerato pulmone funderent, quod pestis genus Guidonis tempore mortales plures strauit: atqui feruente, ita sanguine, vt etiam venas abrumpat, secandam venam enitescit. Galenus pariter in libro *de cibis boni, & mali succi* phlebotomiam in peste, quæ Commodo imperante grassata est exercitam tradit: & lib. xi. method. hoc præcepto vniuersali medicos informat *optimum est venam secare, non modò in synochis febribus, sed in omnibus, ex humorum putredine ortis, cum ætas, vel virium defectus, id non vetuerint*: Cornelius Celsus etiam lib. 3. cap. 7. de febre pestilenti loquutus, hoc præcepto medicum erudiuit: *si vires sinunt sanguinem mittere optimum est, præcipueque, si cum dolore febris est* Oribasius in suo medicinæ compendio cap. 7. assentitur Celso *si* (inquit)

exanthemata, id est pustulæ, cum inflammatione nigræ apparent, cum dolore, hos tales confestim phlebotomabis: ergo ex Oribasio si carbunculi in cute emineant phlebotomia confert. Aetius sermon. 5. cap. 95. in eandem abit sententiam *quibus* (inquit) *sanguis abundat, his vena secetur* tuentur Græcorum sententiam Arabes, vt Rasis, 30. continentis t. 11. c. 2. Auicenna lib. 4 fen. 1. tract. 4. *si materia vincens fuerit sanguinea, fiat phlebotomia*. Abimeron etiam Abinzoar lib. 3. tract. 3. cap. 1. de epidemia commentarium exorsus, phlebotomiam in peste commendauit *Vidi* (inquit) *iuuenem habentem apostema perniciosum, & studui circa salutem ipsius, & incæpi primo euacuare eum, cum phlebotomia, & posui postea super apostema confortantia*: Quid iam memorem confertissima Latinorum medicorum, siue Italorum, siue Gallorum, siue Hispanorum, siue Germanorum agmina, qui phlebotomiam in peste admiserunt, e quibus Rondeletius censet, pestem genus esse causi, e sanguine melancholico, quod nigræ maculæ aspersæ corpore, & anthraces indicant; ergo ad temperandum hunc sanguinis feruorem, in ipso initio, dum vires constant optimum fuerit partem illius sanguinis detraxisse: itaque peritissimorum virorum placita amplexus, decerno phlebotomiam in peste toties exercendam, quoties nimia copia sanguis ægrum obruit, vel ob conceptum vitium vires premit, vel motu aliquo effero concitatus intendit periculum,

ne in aliquam partem principem irruat: quod Daniel Sennertus lib. 4. de febr. cap. xi. post alios obseruauit, & perspicua est ex Galeno ratio, method. xi. cap. 15. *prouidentia, quam vocant internarum partium corporis, sine sanguinis detractione maximum malum est. detracto sanguine non malum est*, & infra *quippe deusta immodico calore viscera etiam amplius deuruntur, ac torrentur* ergo, nec hydrotica externa, vel interna, recte queunt administrari nisi internarum partium incendium præcaueris: quia vero interdum phlebotomiam in peste nocuisse, aliqui authores, vt Ludouicus Septalius memoriæ commendarunt, constituo cum Ambrosio Paræo lib. 21. c. 24. solerter indagandum, an pestis ex aeris labe, & putrido humorum apparatu contracta sit; an vero venenati aerei corpusculi labes effera, humores probos inquinarit, nam in primo casu humoris putridi partem dissecta vena haurire iuuabit, in posteriore autem omissa phlebotomia muniendum erit cor alexipharmacis ad pestiferum semen tetrumque miasma procul amandandum: si vero præcesserit praua humorum diathesis dispar est ratio: denique toties nocet phlebotomia, quoties fames, & virium inopia cum peste coniuncta est.

Ad secundum respondeo non omnes correptos peste viribus linqui, imo si copia humorum, vel maligna vi premantur vires, detracta sanguineæ sarcinæ parte reuiuiscunt, non aliter quam lignorum mole flamma obruta, eorum congerie imi-

minuta, alacrior surgit; quippe vt obstructiones sunt putredinis fomites, ita misso sanguine eæ facilius referantur.

Ad tertium respondeo, etiam si secetur vena, non tamen intima venenum magis penetratũrum, nam cum natura, quod sibi salubre est retentricis facultatis vi contineat: ad depellendum quod sibi exitiale est, fortior consurget: si vero in extima superficie pars veneni hæreat, cauemus ne ad interna dilabatur; cucurbitulis, bubonibus & anthracibus affixis, dum vena inciditur, tum cor epithematibus corroborantibus muniitur de quibus inferius.

Ad quartum respondeo motum humorum a centro ad circumferentiam; per se anteferendum, contrario motui: ex accidenti tamen, cum breui temporis flexu circumscribatur, profuturum: quis enim negauerit laborare naturam, dum sanguis funditur, at ea iactura maiore postea compendio sarcitur: præsertim vero id malum eo leuius ferendum est, quod postea alexiteriis, & sudorificis, motum a centro ad peripheriam simus concitaturi.

Ad quintum respondeo, vesicans bubonibus si ignaue assurgant, applicitum, vel theriacam cum alliis, cepe, fermento, sinapi, & thlaspi, admotam, aut cucurbitulas iisdem, vel carbunculis impositas, vt diximus venenati ad interna humoris recessum inhibitura: quod vero ad exanthemata attinet tantum abest, vt illa sanguine prudenter

mis-

misso euanescant: vt etiam natura parte oneris leuata, reliquam, ad extima fœlicius protrudat. Audi Galenum quid in hac parte sentiat meth. xi: *leuata quæ corpus nostrum regit natura exonerataque eo, quo veluti pondere grauabatur, vincet facile, quod reliquum est, & concoquet quod potest concoqui, & excernet, quod excerni potest* quippe in morborum initio critica esse non potest excretio sed symptomatica, vel media, quæ arte iuuanda est, nam licet tentata per cutim a natura excretio promouenda sit, quia tamen tanta humorum copia, per cutim educi nequit nisi prius, aut venæ sectione, vel purgatione pars eius magna exhausta fuerit, vt Galenus comment. 2. in lib. 2. epidem. Hippocr. docet; hinc commoda est venæ sectio licet quæuis exanthemata eruperint, sed hæc inscripto de maculis commentario magis illustrabuntur.

Quod ad sanguinis eliciendi quantitatem attinet, ea octo, vel nouem vncias non excedat: nam cum vires cordis laborent in peste, satius est si nimia sanguinis redundantia æger affluat, sectionem venæ repetere, quam repentinum virium lapsum, nimia euacuatione accersere; si vero Galenus consulat phlebotomiam in peste ad animi deliquium, de causo pestilenti loquutus est, qui ardore, non concepto veneno interficit.

Secta vena, aut si eius sectioni temperandum visum fuerit, hirudinibus ano applicitis, aut cucurbitulis scarificatis in suris, postquam vires in-

dul-

dulta aliqua quiete, & syrupo cardiaco, vel aquæ theriacalis semuncia insculo acetoso permista recrearit æger, ad alexipharmaca sudorifera curæ vertendæ sunt nec enim effera vis morbi patitur, vt communem medendi morem sequi, pharmacum hydrotico præponamus.

℞. Lapidis belzaartici grana quindecim, smaragdi præparati, grana quinque, confectionis hyacinthinæ drachmam dimidiam; theriacæ scrupulos duos, dissolue in aquæ cardui benedicti, melissæ, singulorum æquis partibus vncijs duabus, aquæ florum croci, & rosarum cuiusque vncia dimidia syrupi e radicibus angelicæ, vel eius inopia e corticibus citri vncia. fiat potio.

Vel ℞. smaragdi præparati grana octo, alkermis semidrachmam, mithridatii scriptulos duos, dissolue in aquæ scorzoneræ vnciis tribus, aquæ scordii, & theriacalis singulorum vncia vna, syrupi e succo limonum sescuncia fiat potio.

Vel ℞. terræ lemniæ, boli armeni, electuarii e gemmis frigidi, singulorum semiscriptulum, confectionis liberantis scriptulos duos, theriacæ mediæ ætatis, vel circiter annorum decem scriptulos quatuor: dissolue in aquæ oxalidis vnciis quatuor, aquæ rosarum sescuncia, syrupi omphacitis sescuncia, aceti e scordio semuncia. fiat potio.

Mirabitur quispiam auctam fuisse theriacæ dosim ad scriptulos quatuor, sed is sciat etiam augeri magis posse scilicet ad drachmas duas, audiat enim Galenum qui ab Antonino Imperatore ius-

sus theriacam componebat in libro de antidotis, non eandem dosim in prophylaxi, ac postea cum quis veneno tentatur porrigendam *Non eandem* (nempe theriaca, & mithridatica antidotus) *vim habent post venenum accepta, quam ante sumpta habuisset: nam portio antidoti, quae prius, & semel hausta, tutum a morte quempiam praestitisset: ea venenum subsequuta, nisi ob quadruplum quintuplumque aucta, non iuuabit: neque id semel tantum, sed bis singulis quibusque diebus hausta faciet* ad prophilaxim vero Antoninum Imperatorem theriaca aegiptiacae fabae magnitudine vsum singulis diebus tradit, quia vero haec magnitudo plerisque incognita est, in libro ad Pamphylianum eam illustrat. *Datur* inquit *ex tribus cyathis vini, nucis auellanae magnitudine, tam post venenum venenosorumque animalium ictus quam ante si quis veneni suspicionem habeat* ex quo animaduertere licet, quae dosis theriacae vsurpanda sit, nam qui peste laborat, vt is qui venenum putredinale hausit, theriaca muniendus est: cum enim specifico aduersus pestem remedio careamus ea quae aduersus venena putredinem gignentia profuerunt vsurpamus non infoelici euentu vt refert Galenus lib. de vsu theriacae ad Pamphilianum *audiui* (inquit) *virum & medicae facultatis experientia praestantissimum, & singulari quadam humanitate insignem, Aelianum Meccium Italiam olim pestem innasisse, qua celeriter, & multi intercipiebantur: timentibus igitur omnibus, vt fit, & medicis, & principibus aucto-*

tam se fuisse, vt sola theriaca vterentur, nam cetera nihil contulerāt; tunc itaque ex ijs qui ægrotabant, quamplures assumpta theriaca conualuisse, paucos in quibus vis morbi nimium inualuerat occidisse reliquos omnes, quos nondum pestis occupauerat, non modo periculum euasisse, sed ne in morbum quidem incidisse; atque hoc mirum alicui videri non debet, quando si toxicum venenum superat, pestilentiam quoque ne vincere possit. Aduertendum secundo theriacam nostram admodum imbellem esse, si cum Galeni theriaca comparetur: cum medicamina ex varijs prouincijs lectissima, ex cæsareis supellectili compararet, quorum aliqua nobis desunt idque experientia constat: nam theriacæ vim explorabat hoc periculo: illi qui helleborum, aut scammonium, vt purgaretur sumpserat, porrecta instar fabæ ægiptiacæ theriaca, non modo purgationem frenabat: sed vt ne quidem commoueretur inhibebat. Itaque augenda est theriacæ nostræ dosis, quare in Neapolitana peste, quæ superioris sæculi anno septuagesimo quinto grassabatur, semuncia vna theriacæ, includebatur meditullio excaua ti cæpe, eoque sub cineribus cocto, ac emundato tundebatur in mortario, cum succo scabiosæ, verbenæ, dictamni albi, scordii, cardui benedicti ad singulorum drachmas duas, expressusque succus dabatur ægro ad proliciendum sudorem, residuum vero magma buboni pestifero imponebatur, vt Ioannes Baptista, qui medicam tum artem exercebat, tradit. Ob præstantissimam vero theriacæ

vires, cæteris alexipharmacis permiſcere, eam medici conſueuerunt. Cæterum obſeruandum in ea peſte, in qua vruntur interna, concepta phlegmone theriacam non eſſe accommodam, vti nec aduerſus venena, quæ vrendi facultate pollent, auxilium latura eſt, vtque ſingula venena ſingulares exigunt antidotos, ita ſingulas peſtes ſingularibus remediis expugnari obſeruatum eſt: adde non tutum eſſe pueris, & grauidis peſte laborantibus theriacam porrigere, quare Fracaſtorius lib. 3. cap 7. electuarium è ſcordio compoſuit, cuius vis eximia, ab Italis, Germanis, Gallis, ac alijs commendata eſt: illius parandi deſcriptio hæc eſt.

℞. cinnamomi, caſſiæ ligneæ, ſingulorum drachmas duas, rad. ſcordij veri ſemunciam, dictamni cretici, biſtortæ, tormentillæ, ſingulorum drachmas duas, galbani, gummi, arabici, ſingulorum drachmas duas: opii ſemidragmam, ſtyracis calamitæ drachmas duas, & ſcriptulum vnum, ſeminum acetoſæ, ſcriptulos duos: gentianæ drachmas duas: boli armeni drachmas ſex, terræ lemniæ drachmas duas: piperis longi, zinziberis, ſingulorum drachmam: mellis albi, libram, & vncias tres: conſeruæ roſarum, ſelibram, vini aromatici libras duas, & ſemis miſce, fiat electuarium, cuius doſis hæc eſt.

℞. ſucci acetoſellæ, ſiue trifolii, acetoſi, ſiue rutæ caprariæ vncias tres, ſucci citri vnciam: diaſcurdii drachmas duas, ſpecierum cordialium, electuarii è gemmis, ſingulorum ſcriptulum, aceti,

vnciam, omnia diligenter commisce, ac nisi profuerit, morbum humana arte domari non posse putauit Fracastorius.

Superiori etiam sæculo drachmæ duæ theriacæ, cum drachma croci, & granis octo seminum sinapi, exceptæ melle, igneque assatæ in testa oui dabantur, in pilulas conformatæ ad prouocandum sudorem, venenumque propulsandum; quod si eiiceretur vomitu, par dosis iterum dabatur, quæ si non reijceretur, salutem ægro afferebat; in quo obseruandum orobum, drachmarum trium pondere mortem inferre ex Dioscoride lib. 1. drachmæ vero pondere vlulatum cum theriaca, corroborare ita posse cor, vt virus omne depellat, siue sudore, siue simplice diaphoresi.

Profuit etiam multis hoc sudoriferum. ℞ aquæ theriacalis sescunciam, confectionis liberantis scripulos duos, alkermis scripulum, liquoris tartari correcti, spiritus calcanthi singulorum scripulum, olei baccarum iuniperi grana quatuor, aquæ cardui benedicti vncias quinque, syrupi de acredine citri vnciam; fiat potio sudorifera.

Iuuant etiam admodum aquæ theriacales compositæ, de quibus in capite de corroborantibus actum est, quæ in eam rem comparatæ esse debent; cum vero ex his aliæ sint confectæ ex succis calidioribus, vti ex spiritu vini, & aromatibus, vt elixir vitæ pestilentiale, aqua theriacalis Crollii, & aqua Candalea, earum dosis est à cochleari dimidio, ad cochlear vnum cum aqua scorzoneræ, vel scab-

biosæ, vel pimpinellæ, vel oxalidis eximia est hæc ex subiecta descriptione.

℞. theriacæ viginti annorum, vncias duas, & dimidiam, myrrhæ drachmas decem, radicum angelicæ semunciam, zedoariæ, croci, gentianæ, singulorum drachmas duas; cinnamomi drachmas tres: caphuræ drachmam: affunde vinum stillatitium, radicibus calami aromatici conditum, vt trium, vel quatuor digitorum crassitie superemineat, ac in vitro clauso, leui cinerum calore tinctura, inclinato molliter vase colligitur, iterumque par vini stillatitii conditi, quantitas affunditur, mediaque parte cum viribus medicamenti tincta est, segregata, adiiciuntur spiritus tartari vnciæ tres, ac dierum decem interuallo, in vitro clauso digeritur, vt vapor sublimis feratur, iterumque concretus decidat continuo motu, quem circulationem chymici vocant.

Dosis huius aquæ theriacalis, est coclearis vnius, cum pari quantitate aquæ cinnamomi, in tribus vnciis aquæ galegæ, vel melissæ, vel myrrhidis, vel petroselini, vel cardui benedicti, ad proliciendum sudorem.

Porro aquæ theriacales, quæ ex succis refrigerantibus comparatæ sunt, ad temperandum theriacæ ardorem, nec augendam febrim, ab vncia ad sescunciam dantur.

Antimonium diaphoreticum chymica arte paratum, seu flores antimonii albi fixi ad proliciendum sudorem celebrantur, non aliter quam lapis

belzaarticus, dosis florum huiusmodi à semiscripulo ad scriptulum cum semidrachma theriacæ veteris, in vnciis quatuor aquæ cardui benedicti, vel decocto rasuræ cornuceruí: verum illud mihi suspectum est, quod febrim nimium inflammet, ægrumque fatiget, nec fœliciter vsurpari tristia aliqua exempla docuerunt.

Oleum magni Ducis Hetruriæ, vel è scorpionibus compositum, vel Caraüitæ mouendis sudoribus seruit; si cordi, & micantibus arterijs temporum, carporumque illinatur: calentes etiam panes emunctoriis applicentur, vt venenum trahant, vel spongiæ decocto rorismarini, scordii, dictamni, imbutæ, ac dein expressæ. Ceterum in proliciendo sudore cauendum est, ne somnos carpant ægri: quippe discrimen imminet, ne venefica labes interna petat, iuuatque spongiam aceto acerrimo imbutam, naribus admouere. Vbi tamen plurimum sudorem fudere, leui somno indulgeant; porro sudor linteis puris abstergendus est, cum trium, vel quatuor horarum flexu prolicitus fuerit. Ambigunt nonulli, an ægro cibus, potusue porrigendus sit, dum in profundendo sudore exæstuat: Concludo non porrigendum: nam expultricis facultatis conatus frangendus non est, occupata concoctrice; & licet in alijs febribus sine noxa, vel cum aliquo solatio, refrigerans, potio præbeatur, quæ cum venas permearit in sudorem abitura sit, non tamen par ratio est in peste, nam omni virium contentione id vnum enitendum est, vt veneni intus con-

cepti

cepti semina, vel per diaphoresim, vel per sudorem effluant, nec tutum est, ab externis ad interna palindromem humorum concitare. At inquies tanta interdum siccitas ægrum adurit, vt laniena sit genus, siti exarescentis ægri querelas aspernari. Respondeo futurum breue illud supplicium, salutemq; pariturum: ne tamen in eo fatiscat, æger, leuia ad fallendam sitim solatia, vel cardiacæ aquæ coclearia aliquot instillari, ad temperandam siccitatem, vimque veneni infringendam, ita tamen vt circunstantijs semper aptentur consilia, nam virium reficiendarum, ne intercidant, ratio summa habenda est.

Deterso sudore: si aluus laxa, & soluta fuerit, cardiacum conditum dari poterit. ℞. conseruæ rosarum, malorum citriorum, singulorum drachmas duas, diamargariti frigidi scriptulum, magisterij corallorum grana sex, cum syrupo de acredine citri: conditum fiat.

Si aluus suppressa sit, vel clystere refrigerante, & emolliente laxanda est, vel iusculo hoc laxante soluenda. ℞. iusculi gallinæ vncias quinque, olei ex amygdalis, recentibus expressi vncias tres, sacchari semunciam, succi limonum ad gratam aciditatem conciliandam, quant. suffic. Detur horæ vnius post sudorem interuallo, nam post detersum sudorem, & permutata lintea per insensilem diaphoresim corpus difflare plurimum halitum, & vaporem consueuit.

Contra conclusionem nostram de hydroticis pe-

ste percusso, propinandis obiiciet quispiam ex Francisco Valesio in commentario in lib. 4. epidemior. text. 67. sudorem, qui sponte fiat, & tempestiuè, optimè liberare ægros, qui vero arte elicitur, plerumque augere febres, & virtutem aliquando infringere, nisi à natura adiuuetur: secundo sudor, qui in principio fluit malus est; vt obseruat Hippocr. in prognost. tum lib. 1. sect. 3. in Phlisco, qui febri ardenti ex bile adurebatur, & lib. 4. aphor. 36. qui de sudoribus hæc pronunciat. *Sudores* (inquit) *febricitanti, si inceperint, boni sunt tertia die; & quinta, & septima, & nona*, & ita de alijs criticis, si causam exquiras, hanc subiungit. *Hi enim sudores morbos indicant; qui vero non sic fiunt dolorem significant, & longitudinem morbi, & recidiuas.* Ergo nec primo, nec secundo die sudoriferum pharmacum dandum est: cum ij dies non sint critici ex Hippocrate, confirmatur ex alia eiusdem sententia aphoristica; num. 56. eiusdem sect. *Febricitanti sudor oboriens, febre non remittente malum, moram enim trahit morbus, & multam humiditatem significat:* atqui non remittit febris primis diebus, cum tunc increscat: ergo tunc dare sudorifera non iuuat: tertio expectanda videtur humoris coctio, vt prauus secerni à natura possit, secretio enim excretionem præcedat: atqui incoctum esse primis diebus constat, ergo tunc non tentanda est illius secretio.

Respondeo ad primum, licet augenda febris, & virtus debilitanda propinato sudorifero videatur,

illud propinandum maioris boni spe; nam à visceribus pestiferi succi ad externa transferendi sunt: ne vero nimium augeatur febris, calidiora defugimus, vti illa quæ venenatæ qualitatis naturæ nostræ infensæ, non sunt experta, vel ægri vires prosternere possunt, qualia sunt antimonium diaphoreticum; sublimatum dulce, & alia metallica, quæ à chymicis magno sudore elaborata nocent potius, quam iuuant: dum per mortes hominum funesta experimenta magno dedecore ediderint.

Ad secundum, respondeo, licet oborti sudores, qui in principio symptomaticè excernuntur, mali sint, tamen arte procuratos, in principio pestiferi morbi, mediam naturam sortiri adeo vt adiumento sint: Loqutum vero Hippocratem, de sudoribus, qui sponte erumpunt criticè, & diebus criticis manare debeant.

Ad tertium, respondeo humorum potius venenata qualitate, quam cruditate mortem allaturum, atque adeo non tantam coctionis promouendæ, quam depellendi pestiferi humoris, habendam rationem: frustra enim coctionem expectatum iri, cum antequam perficiatur, æger è medio tollendus sit: cæterum exhausta per sudorem pestiferi veneni sentina, febrem remissum iri. Licet vero in alijs febribus præmitti, sudoriferis pharmaca purgantia consueuerint: contraria tamen ratio in peste ineunda est, nam ob conceptum intus venenum purgatio metuenda est, ne in principes partes pestifera aura recurrat, atque adeo Petro Forresto

ſto in percuranda peste . Delpheni obſeruat. 17. lib. 6. tum Cornario, & pluribus alijs viſum eſt, tertio die purgationem blandam , poſt reſolutam ſudore veneni partem maximam tentandam , vel rhabarbaro , vel caſſia , vel manna , vel ſenna , vel agarico trochiſcato , vel thamarindis , vel ſyrupo roſaceo ſolutiuo , vel triphera perſica , vel electuario Alexandrino , vel catholico , vel plurium permiſſione , nam omnia pharmaca vehementia, penitus in peſte proſcribenda ſunt : adeo vt, qui contrarium moliuntur , non in medicorum , ſed impoſtorum, & carnificum numero collocandi ſint : cum tot adeo per mortes infelicium experimenta lugubria , variæ prouinciæ luxerint , vt de his ambigere ſummæ imperitiæ argumentum ſit. Cæterum pro cuiuſque temperamento , ætate , ſexu , viribus , humorumque peccantium natura , & copia , pharmaci compoſitio diſcriminanda eſt : vt tamen ex aliquibus exemplis probabilis coniectura petatur , aliquas formulas proponemus , quæ peſte laborantibus profuiſſe putantur .

℞. rhabarbari lectiſſimi ſcriptulos quatuor, agarici trochiſcati ſemidrachmam , cinnamomi ſcriptulum : infunde in ſufficienti quantitate aquæ endiuiæ : expreſſione diligenti facta, adde decocti cordialis cum ſenna, vncias tres , tripheræ perſicæ ſemunciam ; ſyrupi roſacei ſolutiui vncias duas , fiat potio , affuſis aliquot guttulis ſpiritus vitrioli.

Vel ℞. radicum cichorii, dictamni ſingulorum ſemunciam , foliorum ſcordii , pimpinellæ , ſucciſæ ,

cisæ, oxalidis manipulum, florum cordialium pugillum, thamarindorum, foliorum sennæ, singulorum drachmas tres, fiat decoctio, e colatura dein accipe vncias quatuor, quibus adiicito syrupi e cichorio cum rhabarbaro vncias tres, chrystalli tartari semidrachmam, fiat potio.

Vel ℞. decoctionis florum, & fructuum cordialium cum senna, vncias tres, electuarii Alexandrini senscunciam, syrupi rosarum persicarum vncias duas, salis prunellæ scriptulum:

Vel ℞. cassiæ drachmas sex, pulpæ thamarindorum semunciam, pulueris rhabarbari drachm. diamargariti frigidi scriptulum, cum conserua citri, fiat bolus.

Vel ℞. iusculi gallinæ non saliti, vncias v. in eo decoque cichorii buglossi, oxalidis scordii manipulum; foliorum sennæ drachmas tres, omnia diligenter exprime, & in colatura dissolue mannæ selectæ vncias tres, aquæ cinnamomi drachmam, spiritus vitrioli guttulas aliquot, fiat potio.

In eundem vsum iuuat, vncias quatuor syrupi rosacei solutiui, vel e cichorio cum rhabarbaro, aqua scordii temperatas haurire.

Vel si quis pilulas lubentius sorbeat eæ seligendæ, quæ mediocribus viribus pollent, veluti quæ dicuntur de rhabarbaro, de agarico, Ruffi pestilentiales, & similes. Non defuere; qui theriacam, & alias antidotos cardiacas purgantibus miscuerint, ne cor venenatæ auræ intus recurrentis maligna labe inficiatur, ad eam vero depellendam,

con-

confirmaretur, idque pro maximo arcano in percurandis peste correptis tradidere: aiunt enim naturam, quæ morborum est medicatrix, & ita à summo rerum conditore edocta, vt quæque pars id seligat, quod sibi conducit; contrariis pharmacis non confundi, cum vis cardiaca confirmandis naturæ viribus, vis purgatiua corruptis humoribus educendis seruiat; eoque axiomate instructi, scrupulos duos theriacæ, cum drachmis tribus confectionis hamechi, & conserua angelicæ porrexerunt: rationem hanc, suffulciunt experientia, nam fœlici cum successu huiusmodi purgantia cardiacis permixta, data gloriantur.

Decernimus in hac controuersia, primum scamoneata, licet multiplici benignorum medicaminum concretione delinita, vix danda peste correptis, ardente Sirio, nam ex Hippocratis oraculo: *Sub cane, & ante canem difficiles sunt purgationes*; quantumuis alia tempestate, vel in aliis regionibus profuisse, medica monumenta testentur. Statuimus secundo theriacam non prudenter misceri purgantibus, cum Galenus ea facultate pollere: demonstret, vt purgationes inhibeat; alia tamen cardiaca, quæ vim purgatiuam non abolent, magna prudentiæ gloria miscentur, veluti diamargaritum frigidum, confectio liberantis, syrupus, e scordio, e radicibus angelicæ, e corticibus citri, caphura, vel in aqua cardiaca, purgantia tẽperatur, ita in peste Veneta superiore seculo Mercurialis hac purgandi formula, vt seruus vtebatur.

℞. Sebesten nu. xii. scordii sesquidrachmam, seminum citri drachmam, foliorum pimpinellæ, borraginis, singulorum pugillum, fiat decoctio in aqua melissæ stillatitia. Dein in colaturæ huius vnciis quatuor infundito ex arte rhabarbari scriptulos quatuor, caphuræ, spicæ indicæ, caryophyllorum, æquis partibus grana duo. Demum facta expressione valida: dissolue, mannæ lectissimæ vncias duas, syrupi e corticibus citri vnciam alkermis semiscriptulum. Hæc de purgantium natura suffecerint: de quibus vix meminit Auicennas in cura pestis, adeo vt lactis serum aqua rosacea temperatum ex Rase, tantum commendarit ad biliosos scilicet humores retorridos educendos, vel demulcendos qui fœlicius educentur; si mannam, vel syrupum rosaceum solutiuum, aut mel rosaceum solutiuum in sero lactis dissoluamus, quod in regionibus calidis, tum ad leniendum ardorem sitimque compescendam, bilisque copiam ingentem fundendam, fœliciter successit: serum vero lactis ad libras duas propinari consueuerat.

Ad tertium respondeo si in febre pestilenti expectetur humoris coctio, vt hydroticon detur, non rarò actum esse de ægri salute, atq; adeo eorum sententiam, qui hydrotica in principio, post leuem e saphena phlebotomiam, si necessaria sit, vel elicitum hæmorroidalibus venis sanguinem, aut scarificationem pedum, porrigenda sanciunt amplectimur: quid enim fractis iam viribus, ac ve-

neno, cordis acropoli potito, sudores mouere iuuerit: Obseruandum etiam prætermitti plerumque, in limonosocomio cum peste correpti deferuntur, phlebotomiam, & purgans pharmacum, quod elisis iam viribus, ac potius, vt ecclesiasticis sacramentis procurentur, vel ne inficiant alios deferri consueuerint, quam spes salutis confirmandæ affulgeat, si tamen non defuerint vires par medendi ratio seruanda est, quæ superius descripta est. Hactenus de phlebotomia, & sudorificis, quæ non vna tantum vice, sed etiam repetitis vicibus, per ea quæ humores nimium non incendunt vsurpanda sunt, ac de purgante pharmaco dixisse suffecerit: quibus præmissis vesicantia, quæ ichores malignos, ac venenatos a partibus internis, & principibus ad tibias, & brachia, maximo, & conspicuo cum fructu reuellunt, admouenda sunt; quorum formulæ descriptæ sunt inferius nunc de syrupis, & epithematibus cordiacis, & aliis corroborantibus, ac refrigerantibus, quæ peste laboranti exhibenda sunt oratio instituenda est.

Vt in aliis morbis syrupos, apozemata, emulsiones seminum frigidorum, zulapia, opiatas condita, trochiscos, epithemata, & alexiteria imperamus; ita in peste hæc præsidiorum genera non aspernamur, modo id caueamus, ne adeo ignaua sint, vt ægritudini ablandiendo ægrum crudeli officii genere non prodamus: Omne verò consilium in eo versatur, vt labantes cordis vires

re-

recreemus, veneficam labem obtundamus, tum præcipue ardente sirio conceptum venis ardorem mulceamus.

℞. Aquæ scorzoneræ, oxalidis, buglossi singulorum vncias quatuor, aquæ rosaceæ, nenupharinæ æquis partibus sescunciam, santali moscatellati drachmam, caphuræ scriptulos duos, oxysacchari libram dimidiam, fiant tres syrupi.

Vel ℞. conseruæ rosarum, buglossi, violarum, singularum vnciam, dissolue in aqua scorzoneræ, rutæ capraríæ, melissophylli singularum vnciis sex, succi scordii, succi dictamni, succisæ singulorum semunciam, omnia transfundito per colatorium: syrupi ex radicibus angelicæ, vel ex acido citri vncias duas, diamargariti frigidi sesquidrachmam in sex doses, vel pauciores molem partire.

Vel ℞. aquæ rutæ capraríæ, scabiosæ, pentaphylli, scariolæ, singularum vncias tres, aquæ rosarum, succi limonum syrupi e scordio, syrupi e ribibus singulorum sescunciam, fiant syrupi tres vel ℞. succi scabiosæ, succi pimpinellæ singulorum vnciam aquæ scorzoneræ, borraginis cardui benedicti singularum vncias quinque: syrupi e scordio, de acredine citri singulorum sescunciam fiant tres syrupi adiectis aliquot guttulis spiritus vitrioli qui domandæ putredini plurimum conferre creditur.

Ob eandem causam emulsiones seminum frigidorum dantur, cum illa in aquis cardiacis fuerint dissoluta.

℞. Se-

℞. Seminum lactucæ, oxalidis singulorum drachmam, seminum melonum semunciam, amygdalarum recentium drachmas sex, seminum citri semidrachmam, fiat emulsio cum aquæ melissæ, borraginis, oxalidis singularum vnciis quatuor rosaceæ vncia sacchari defæcati vnciis duabus. Diuidatur in duas doses.

Apozemata pariter ex radicum, herbarum florum, fructuumque præditorum innata aduersus venena vi, decoctione concinnari possunt.

℞. radicum angelicæ, imperatoriæ, carolinæ, bistortæ, caryophillatæ, cyperi singularum semunciam sol scordii; pimpinellæ, oxalidis, dictamni succisæ, galegæ, singulorum manipulum, tamarindorum vnciam; seminum; oxalidis citri singulorum drachmam rasuræ cornu cerui drachmas duas: florum cordialium pugillum: fiat decoctio in sufficienti quantitate aquæ secundum artem, & in colaturæ libra; dissolue conseruæ citri vnciam; syrupi de omphacio, rob de vua crispa singulorum vnciam, ac partire apozema in tres doses:

Zulapia, quæ ad conciliandos somnos, ex refrigerantibus; & narcoticis conficiuntur: si æger nimiis vigiliis torqueatur, tantum concedenda sunt; nam somnus, nisi is qui ad reficiendas vires carpitur, peste laborantibus officit: quæ vero e succis angelicæ scordii, dictamni; imperatoriæ, melissæ, caryophyllatæ concinnantur: cardiacis aquis permixta iuuant, vti oxysacchara &, syrupi e ri-

e ribibus ex oxyacantha, ex vua crispa, ex acido citri, ex omphacio, e succo limonum, e succo oxalidis, & similes opiatæ, quæ non ab opio, sed a forma, qua opium dari consueuerat nomen traxere; ex conseruis, pulueribus & syrupis subornatæ, cochlearis magnitudine ad ægrorum solatia ingeruntur:

℞. conseruæ enulæ campanæ, rosarum, singularum drachmas duas, pulueris smaragdi grana decem, lapidis belzoartici grana quindecim margaritarum in puluerem redactarum scriptulum boli armeni præparati semidrachmam corticum citri conditorum semunciam, cum syrupo e scordio, & guttulis aliquot spiritus vitrioli aspersis fiat opiata: partitis vicibus dato. Modo pulueres angelicæ, gentianæ, baccarum iuniperi, carolinæ, calami aromatici, ossis e corde cerui cum conseruis, & syrupo e corticibus citri miscentur.

Condita, ab opiatis sicciore forma vix discrepant, quæ peste laboranti ex hac fomula imperari possunt partitis vicibus haurienda:

℞. Manuschristi perlatæ vnciam, conseruæ oxalidis florum buglossi singularum semunciam: ossis e corde cerui, pulueris scordii, singulorum scriptulum, confectionis liberantis diamargariti frigidi æquis partibus semidrachmam, boli armeni præparati cum aceto rosaceo, & aqua scordij, terræ melitensis singulorum scriptulos duos, cum aliquot guttulis magisterij corallorum, fiat conditum.

Tro-

Trochisci e terra lemnia compositi, e capfuca, e gemmis, & bezoarticis commendantur.

Epithemata ad cordis temperandum ardorem. ℞ aquæ rosarum buglossi, melissæ nenupharis, theriacalis singulorum vncias quatuor: aquæ, nasturtii, scordii, æquis partibus vncias tres: xylaloes, croci, singulorum grana sex, vini albi vncias tres, trisandalon drachmas tres; fiat epithema in regione cordis, imbuto his succis panno coccineo.

Corroborabuntur etiam vitales spiritus hoc linimento. ℞. mithridatii, alchermis, singulorum semidrachmam, santalorum omnium scriptulos duos, radicum angelicæ dictamni enulæ campanæ scriptulum, aquæ theriacalis, rosaceæ, aceti e scordio parum: fiat illunctio circa cor, variatur nonnihil formula, si hepati feruenti affundenda sint: aqua cichorii, & hosinchii, & aceto permistis. Modo ex confectione hyacinthina, & oleo contra venena composito, uti poterit.

Sacculus quoque e floribus, & aromatibus refertus apponi poterit. ℞. florum nymphææ, violarum rosarum, aurantiorum, rorismarini, & melissæ singulorum drachmam, xylaloes corticum citri, baccarum iuniperi, santalorum, foliorum dictamni, cyperi, angelicæ, singulorum drachmas duas: croci grana quinque, purpureo serico includantur. Inter alexiteria principem locum tenent: aqua theriacalis ex aquis refrigerantibus composita, aqua e porcospino, lapis belzaarticus, puluis smaragdi præparatus, confectio hyacinthi-

na, liberantis, diamargaritum frigidum, diascordium: At extractum contrayeruæ, mithridatium, ac theriaca, vel similia, in summis ardoribus æstiuis, nisi aquis refrigerantibus, cardiacis temperentur ægrè conueniunt: nisi in minore quantitate quorum aliqua misceantur commodè iusculis, alia cum conseruis cardiacis hauriuntur. Terra armena præparata cum puluere scordii, cornu cerui, corallorum, margaritarum, & syrupo de acredine citri sorbetur, non vna tantum vice, sed pluribus, vt enim gutta lapidem non cauat, primis impressionibus, sed diathesim emolliendo sensim, & particulas emollitas deterendo, vt excauetur, inducit: ita nec spes sanandi ægri damnandæ sunt si cardiaca præstantissima iuuare in principio non videantur: nam animaduersum est, eos quibus præsidia medica diligenter admota sunt, ex peste non raro conualuisse, vti e contra maximum ad ægros in exitium præcipitandos pondus affert desperatio.

Nonulli quos auaritiæ illecebra, in impostorum cohortem allexit: aurum potabile etiam in peste, ad aliquot guttulas in iusculo venditant, sed illi nil assequuntur aliud, quam vt pro potabili putabile fecerint nam pro auro, cardiacum plerumque vini spiritum flauo tinctum colore ingerunt, quod enim tam inuictum est, vt ignibus domari nequeat, ab imbecilli humano calore vinci non potest. Vidi quidem non raro à matronis diuitibus, cathenas aureas iusculis incoqui, sed si quid è primo

pon-

pondere detritum excidisse visum est, vel sordes, vel partem hydrargyri mixtam, aurum illud deposuit; melius censent alii, vt Vlstadius, & Mercatus, qui aurum defecatum ignescens, in aquam cardiacam sæpius iniici voluerunt: si vero bracteolis auri ductilibus, preciosa medicamina inuolui iussero potius ad conciliandam formam, vel ne à communi more discederem eo deflexi, quam quod calorem natiuum ijs corroborari posse autumem. Dispar est lapidum pretiosorum, & gemmarum ratio, cum non modo authoritate prudentum, sed etiam pluribus experimentis earum vis illustrata sit, vt demonstrat Meriudolus exercitatione 6.

1. Ad recreandos animales spiritus, plurimum refert, vt peste correpti suaueolentibus odoribus reficiantur: imperantur in eam rem, pilæ odoriferæ, quibus præstantia non cedunt, mala citria, vel spongiæ aqua rosacea, & aceto e scordio, aut floribus caryophyllorum condito imbutæ; vt vero inquinamenta aeris, suffitibus, vel inspersa amplo, & perflatili cubiculo posca, vel intextis floribus, & herbis odoriferis, purganda sint, alias insinuatum est: & Rhases Contin. 13. cap. 2. Auicen. lib. 4. f. n. 1. tract. 4. cap. 4. edocent.

11 De victu peste correptorum consentiunt medici refrigerantem ex Galeno lib. de differentiis febrium cap. 5. conuenire, iuscula buglosso, & oxalide, vel omphacio, vel succo limonum, vel aceto sint temperata: nam ad putredinalem zymosim, siue fermentationem inhibendam, acetosa va-

lent, proinde etiam his, & aqua rosacea cibi condiantur: etsi vero delitiis in peste studere non licet: cum pesti coniuncta sit inopia, tamen pro opulentis concretos carnium liquores, citri, vel granatorum succo medicatos, parare iuuat: vti etiam è carnibus coctis, triticisque, & aquis cardiacis, & conseruis perfusis, liquores ad reficiendos ægros prolicere, vel quæ vocant consummata, vel instaurantia, vel concusa instruere. Quia vero non raro, vt obseruatum est, veneficus aer cum cibis in stomachum illapsus pestem intulit, vimque appetitiuam prosternit, vt à cibis ægri admodum abhorreant, cum maxime ad eos capiendos excitandi sint: vt monet Auicenn. cit. c. 4. *Plurimi* (inquit) *eorum, qui viriliter agunt super illud, & comedunt violenter, absoluuntur, & viuunt.* Præcipit idem author, vt cibi sint desiccatiui, & exiguæ quantitatis, cui fauet Galenus lib. 1. de diff. feb. cap. 4. dum hic pestem ex calida, & humida intemperie concitari: ergo cum contrariorum sit contraria ratio, refrigerans, & desiccans, diæta conueniet. Sed plurimi ab eo dissentiunt: nam tuendarum virium ratio contraindicat, vt paulo liberaliores permittantur, & summus ille ardor, quo flagrant ægri, humectantem cibum efflagitat, nec pestis vim propterea ex ea humiditate augendam expauescimus: cum non quæuis humiditas sit illius parens, vt in aquis cardiacis, & alexipharmacis patet, antequam vero æger comedat faciem, ora, & manus posca abluat, ne cibos contaminet.

Circa potum controuertitur: an peste correpto, aqua tantum ex hordei, & coriandorum præparatorum decoctione aceto medicata, vel syrupo limonum, aut granatorum, vel ribium, vel omphacii, vel spiritu vitrioli condita, aut etiam ex hordeo, & thamarindis parata permittenda sit: an vero etiam vinum ægro concedendum sit: medici quidem in discrepantes sententias distrahuntur, ac Auicennas visus est, abhorrere à vino, cum etiam potum aquæ frigidæ ad satietatem permiserit, quæ an permittenda sit, cum de symptomatibus pestis agetur, disseremus: ac metuunt plerique, ne ægri epoto vino delirio tententur febrisque excandescat.

Conclusio. Aptanda sunt circumstantiis consilia, si febrilis ardor vehementior non fuerit, ac delirii iusta suspicio abfuerit, vinum oligophoron album, & tenue plurima aqua dilutum, permittendum est, cum ad labentes vires sustinendas, & cor exhilarandum, nullum aurum potabile, nulla ex gemmis, & lapidibus pretiosis comparata magisteria, nulla herbarum extracta, cum vino conferri possint, testanturque plurimi vinum in peste egregium auxilium tulisse: cæterum castiganda est eorum amentia, qui validiora vina ægris propinant; officiosè enim miserosiugulant.

De somno: primis diebus parum ei indulgendum admonuimus, ex decretis Sapientum, ne venenum intus recurrat; pathemata compescenda: ne vltro æger perturbatus pestis procurato-

rem agat: aërem quoque ab inquinamentis repurgandum: in excretis, & retentis modum seruandum; Porrò circa diuretica: ea ab omnibus commendata fuerunt.

De curatione bubonis pestiferi.

CAP. VI.

IGnauus bubo dirum mortalibus omen. Canit Poëta. Cuius in peste nascentis causa non omnibus obuia est; nam cum in cæteris febribus putridis, putredo tanta interdum grassetur, vt mortem inferat, & cadauera horrendum fœtorem exhalent; immo adhuc spirantibus ægris fœtidissima proluuies exeat; elicitus è dissecta vena sanguis putredinem oleat; sudores etiam fœtorem spirent: cur tamen nullus bubo in principum partium emunctoriis intumescat. Respondeo, vt bubo erumpat, duo exiguntur: tum partium principum robur, tum materia putrida, quæ ab iis propellatur. Pestifera febris, humores horrida putredine inficit, si eos peruadat; ergo illo symptomate insignis est, quo cæteræ putridæ carent: nam licet in iis humores concipiant putredinem, non tamen eam in principes partes transfundunt, & si hepar aliquando phlegmone tente-

tur, concepta hepate putredo sua cysti includitur, vt depelli nequeat: exigitur etiam partis principis robur, vt venenatam fæcem in emunctoria detrudat, quæ si ad suppurationem peruenire non possit cruditatis argumentum est, & succumbentis sub morbi tyrannide naturæ triste indicium: ex coctione enim, & cruditate humorum Hippocrates lib. 1. epidem. sect. 2. & Galenus in commentariis: vitæ, & mortis prognostica petere consueuerunt; verendæ itaque curæ videntur, vt bubones pestiferi ad maturitatem adducantur: vt fert vetus medicorum oraculum. Huic principio innixi: præcipiunt erumpente bubone pestifero (nam de hoc sermo est) spongiam imbutam oleo chamæmelino, aut liliaceo calenti imponi; vt glandulosa pars corroborata externo calore venenatum humorem magis proliciat, ac simul pars princeps, pestiferi humoris reliquias eo depellat. Alij, vt Ludouicus Mercatus parari decoctum iubent, ex floribus chamæmeli, meliloti, buglossi, violarum, radicibus lilii: iridis, angelicæ, frondibus scordii meliffæ, pimpinellæ, nepethæ, saluiæ, rorismarini, seminibus lini, & fœnugræci; ac spongiola seu panno calidiore decocto madente bubonem fouent. Alij oleum e scorpionibus simplex, vel compositum, præmissa frictione, quo glandula magis turgeat sæpius illinunt. Alij oleum e scorpionibus oleo liliacco, chamemelino, amygdalino temperant, & pannos iis imbutos applicant: mox tepe theriacæ semuncia

refer-

refectum, coctumque sub cineribus, vna cum scabiosa, sinapi, & thlaspi tundunt; adiungunt croci scrupulum, vitella trium ouorum, oleum miscent magni ducis Hetruriæ. Si ad manum paratum sit: sin minus chamæmelinum, vel irinum: farinam denique seminis lini, & fœnugræci, aut frumenti inspergunt: atque hoc emplastro bubonem in maiorem molem, ac tumorem efferre nituntur; vt tum pestiferam auram reuellant e corde, tum insensili aporria, siue effluxu, foras proliciant, tum bubonem ad maturitatem adducant: quo fundente venenatam saniem, naturam victricia trophæa in eo bubone defixisse gloriantur, vt non iam bubo triste omen ingentis mali, sed partam de ingenti malo victoriam, suppuratus referat: de suppuratione enim bubonis, id certum, & exploratum est; maximam eorum multitudinem conualuisse in quibus bubo pestifer coctum pus profudit: sed ad pus mouendum multi dies labantur necesse est: ac antequam concoqui cœperit, veneno in cordis arcem penetrante, æger extingui consueuit: vehementiora itaque remedia ad venenum trahendum admouent, nimirum, bufonum exsiccatorum pulueres æquis partibus cum theriaca veteri, & oleo ex euphorbio: & si diffidant huic vehementiori præsidio prius cucurbitulas admouent, dein emplastra, quæ sæpius permutentur: Adhibent autem hoc inter alia virium præstantia excellens. ℞. diachylonis vtriusque mensura æquali semunciam, am-

ammoniaci, serapini, galbani, opopanacis in aceto dissolutorum, pari singulorum portione drachmam; seminis erucæ, ameos, singulorum scripulos duos, theriacæ drachmas duas: cum oleo e scorpionibus: fiat emplastrum buboni pestifero apprimendum, dein antequam perfectam maturitatem bubo compararit, ferro aperiunt. Non placent aliis gummi, formidant enim, ne vi nimia emplastica, halitus venenatos contineant in corpore, atque adeo hoc suppuratiuum imperant.

℞. Bulbos lilaceos duos, verbenæ, scabiosæ, tapsi barbati, singulorum manipulum radicum altheæ manipulos duos, ebulliant cum aqua, & vini tertia parte, tundantur postea, & per setaceum excernantur.

Dein ℞. therebinthinæ libram resinæ pineæ vnc. viii. ceræ virgineæ vnc. iv. olei chamæmelini, & e scorpionibus singulorum vnc. v. myrrhæ vnciam pulueris magnetici drachmas duas croci scriptulum lento igne fiat vnguentum cuius pars buboni imponenda est, & quater in die permutanda; ita tamen ne frigida aura bubonem afflet: nam spongia decocto emollienti calido imbuta toties applicanda est quoties permutatur. Florentinorum medicorum senatus, maturatiuum emplastrum a serenissimo Hetruriæ magno duce rogatus composuit admodum facile, vt ex arte, diffugere artis gloriam videretur, modo inopi popelio prodesset, scilicet medullas, & pinguedines cum galbano, & theriaca illinebat, aut

farinam lini cum vaccino lacte, & exigua sacchari vi, lento igne decoqui iussit, & mixtum calens buboni imponi; pro sacchar o sal, & vitella ouorum maiori cum vtilitate adiecta: modo, vt refert Antonius Pellicinus emplastrum e radicibus altheæ, & bulbis liliorum; & farina lentium, & puluere scordii, & dictamni componebant modo diachylum, cum theriaca, & oleo magni ducis Hetruriæ miscebant.

Anno MDLXXVI. cum pestis citeriorem Siciliam, Insubriam, & Venetias popularetur, referente Francisco Alphano Salernitanæ academiæ principe hoc emplastrum magna cum vtilitate bubonibus impositum est. ℞. alliorum, & cæparum coctorum in calidis cineribus, libram; bulborum liliorum, radicum altheæ, & iridis singulorum in aqua decoctorum vnc. iii. axungiæ porcinæ, veteris vnc. iii. theriacæ vnc. iv. misce, & vbi bubo prius spongia, vel panno decoctione altheæ, lilij, farinæ, fœnugræci, butyri, olei, & croci permistione madente delibutus incaluerit emplastrum applica.

Profuit etiam hoc emplastrum Aquitanis serinos bubones in inguinibus præferentibus. ℞. ficuum pinguium, passulatum, radicum altheæ, pomorum redolentium, singulorum semunciam mellis vnc. iii. croci drachmas ii. myrrhæ drach. iii. trium ouorum lutea salis gemmæ sesquidrachmam cum oleo e scorpionibus fiat emplastrum buboni pestifero admouendum.

Parisienses modo pullos gallinaceos, modo columbinos modo catellos dissectos, & cruore manantes imposuere mammillæ sanguis, facile veneficam labem rapit, mox theriacam oleo scorpionum compositos cum ficubus, fermento, sale, luteis ouorum, & croco subactam applicuere.

Montispessulani archiatri hoc maturans emplastrum, cum dues depasceret Tectosages præscripsere, & ficuum radicum altheæ, aristolochiæ, bistortæ, pimpinellæ, singulorum semunciam, ferueant in aqua scabiosæ, & oleo chamæmelino ad consumptionem aquæ, tundantur, & excernantur cribro, adde trium ouorum lutea, seminum thlaspi, ameos, sinapis, æquis omnium partibus sesquidrachmam: croci scriptulos duos, theriacæ drachmas tres, olei amygdalarum dulcium vnciam myrrhæ drachmas sex misce, & calida buboni applica.

Obiiciet quispiam ex eorum numero qui medicos veluti mendicos impostores fastigiato supercilio despiciunt: timentque, vt dominos, atque etiam, vt diuos implorant: si qui ægritudine implicici decubuerint, pugnare inter se medicorum turbam, cum remedia adeo inter se discrepantia, dissonasque emplastrorum, & cataplasmatum formulas imperent, sibiq; mutuò aduersantes ipsos imperitos admoneant, nulli medicorum credendum: cum nullus medicus alteri medico credat:

Concl. 1. in hoc contrariarum opinionum æstu decerno, Si bubo pestifer moras indulserit beni-

gnis suppurantibus vtendum de quibus antea dictum est, ac prout phlegmonodes, vel erysipelatodes, vel oedematodes videbitur varianda medicamina.

Si ergo nimia inflammatione bubo ardeat: sanguis ex ea parte proxima demendus erit etiam si antea detractus sit, dum vires tolerant; refrigerantes potus præbebuntur: oleis anodynis imbutæ spongiolæ, nec non cataplasmata dolorem mulcentia; & maturitatem promouentia de quibus antea actum est admouebuntur.

Conclusio 2. perspecta bubonis ignaui retro recurrentis sæuitia, ac latentis veneni insidiatrice vi, si nimiæ inflammationis periculum absit: decerno tutius ægris consuli, si bubonibus vesicantia imponantur; ita enim venenum foras prolici, dieique vnius interuallo fonticulum effodi, cuius beneficio latentia pestis semina educantur.

℞. pulu. cantharidum sinapi, ameos, piperis sing. drachmam: euphorbii scriptulum vnum, & dimidium cum aceto scyllitico, & fermento fiat vesicatoriũ, post horas viginti quatuor finde & digestiuum appone scilicet caulis frondē butyro delibutam: tum in medicaminibus adhibendis ordine, & prudentia vtendum: nam licet plura remedia sint exquisita: intempestiuè tamen adhibita nocent; itaque primum bubo in tumorem omni arte efferendus est, iuuat calens panis furno, aut cineribus extractus, præcipuè chamæmelino oleo, & theriaca imbutus, iuuant dissecti catelli,

vel pulli, vel pulmones animalium, vel spongiæ decocto emollienti calido, vt radicum altheæ, & liliorum seminum lini fenugræci, florum chamæmeli meliloti ficuum madefactæ, tertiò cucurbitulæ si eas æger tolerare possit. Quartò emplastrum maturans apponendum est, quod nec adeo ignauum sit, vt venenum non trahat, nec vehementiore vi humores exagitet, in quo admouendo corporum mollities, vel durities, sexus, ætas, perpendendæ sunt: mediocre est illud.

℞. duo vitella ouorum cocta, salis drachm. ii. therebinthinæ semunciam, olei amygdalini vnciam, adipis gallinæ, theriacæ, singularum drachm. iii. galbani drach. ii. fiat emplastrum cum pauxillo propoleos, & myrrhæ, aut ex muccilagine ficuum, croco, farina seminum lini, butyro, oleo liliaceo, puluere scordii conficito, paulo fortius est istud.

℞. radicum cucumeris asinini, bryoniæ, bulborum, hastulæ regiæ, liliorum, alliorum, ceparum, singulorum semunciam incoquantur vino cribroque excernantur, adde seminum sinapis, ameos, salis nitri, singulorum drachmas duas, euphorbii piperis, cuiusque semidrachmam, galbani, ammoniaci, singulorum aceto solutorum drachmas tres pulueris bufonum exsiccatorum sesquidrachmam, theriacæ optimæ semunciam, myrrhæ, drachmas duas, resinæ pinæ drachmas tres, ceræ virgineæ quantitate sufficienti cum oleo e scorpionibus fiat vnguentum.

Con-

Concl. 3 in principio sanguisugæ apostemati temerè affigendæ non sunt, quamuis de iis pronunciet Guaynerius *præmissa phlebotomia, & alijs potionibus, sanguisugas super apostemata ponunt, & est mirabile, & ego vidi*, nam exulceratus bubo difficilius ad maturitatem perducitur: non etiam scarificationibus sulcandus temerè: ne phlegmone adeo augeatur, vt humorem eo confluentem, natura concoquere non possit: post principium aliquando profuere, cum ob phlegmonem nimiam imminet gangrænæ periculum, vel ne humor venenatus in interna refluat: tum etiam cucurbitulæ applicandæ, ac oleo liliaceo, vel chamæmelino inungenda pars, ne tantus dolor concitetur.

Conclusio 4. cauteria potentialia, qualia ex tribus partibus calcis viuæ, duabus cinerum herbæ Kali, & vna aluminis rochæ componuntur, in mollibus corporibus, initio non sunt adhibenda: ne efferuescant nimium humores; cum non ita chirurgum curandi bubonis, quam medicum curandæ febris ratio vrgeat: si vero bubo maturitatem respuat, ob humoris pertinaciam tunc cauterium iuuat apici bubonis impressum, circumiecto vnguento diachylon: nonulli hac arte fœliciter aliquando inussere, nodulo collectum cinerem calidum, feruenti oleo, vel simplici, vel hyperici, vel e scorpionibus, vel balsamo factitio, aut natiuo mergunt, ac vnius horæ flexu repetitis vicibus buboni applicant.

Conclusio 5. in regione, quæ ad principem partem

tem vergit, maxime applicandum est defensiuum, macerata bolo armena, aceto, aqua semperuiui maioris, vel succo eius, ac albumine oui; ne pestifer halitus per minores venas partes internas persuadat: theriaca verò, quæ apponitur buboni, non repellit venenum, vt suspicantnt aliqui, sed vim illius infringit, cæterum omnia repellendi vi prædita defugienda sunt, ne buboni superimponantur; & si sponte bubo euanescit, quantumuis æger conualescere videatur; imbecillitatem arguit expultricis facultatis, veneniq́ue palindromem, ac repentinam mortem accersit. Si circum bubonem varii colores, viridesq́ue ex croceo, crocei ex atro fulserint, ingentem humorum omnium corruptionem, tristemque interitum portendunt; quod à Petro Foresto lib. 6. obseruatum est: si duritiem insignem referunt, nec emolliri potuerint: potius gangrænam, quam maturitatem præsagiunt: tum vero pertentanda ars est, num è multis perituris aliqui ardenti ferro saluti restitui possint, calumniæque imperitorum constantia generosa protevendæ sunt, cum enim ignorent artem medicam, artis gloriam, ex sapientum calumnijs aucupantur, ferrum enim candens mortem, vix inferre, nisi prostratis viribus potest: euidenti argumento sunt pupuli, qui recenter materna aluo effusi, sine noxa ferrum candens patiuntur, vtque Franciscus Valesius in lib. 7. epid. comm. tex. 92. obseruat. *Pars adenosa per sese vilis est, quamque ob id, licet vrere, & secare, & vtrumque contemnere,*

qui

qui vero inusti ferro pereunt, vel ob sequutam inflammationem nimiam, quæ arcenda est vel incurabile mali genus perire consueuerunt.

Conclusio 6. si bubo pestifer sub axilla intumuerit: ad venenum in partem remotiorem à corde deriuandum, intendenda ars est, itaque si fundendus sanguis videatur: vena interna in brachio eius partis tundenda est, vesicans e cantaridum puluere, fermento, & acero scylitico in musculosa parte brachij imponendum, tum aliud vesicans in proxima spatula excitandum: vt duobus illis fonticulis venefica labes effluat. Controuertitur vero, an etiam subaxillaris bubo inurendus sit. Deterrent ab inustione funesta exempla, cum plerumque ægri veluti triste supplicium passi intereant: At sciant vniuersi exiguam ab his sperandam salutem, qui bubonem subaxillarem profudere, nam cor syncope collabitur: tum ob cordis cum cerebro sympathiam, ægri alto veterno premi consueuerunt: inungatur vero bubo ille subaxillaris vnguento dialthææ, & oleo, e scorpionibus cum pauxillo theriacæ spiritu vini dissolutæ, vt per insensilem halitum venenatus humor expiret. Ex eodem latere in parte inferiori etiam ad excretionem natura lacessenda est applicitis vesicantibus: tum vero maximè hydroticis sudor proliciendus, ac subinde alexipharmacis internis, externisque cor communiendum; par ratio est si gutturis musculos bubo insederit, quod raro accidit; nam tum in brachio, & spatula, eiusdem la-

teris secundum villorum rectitudinem, vesicantia apprimenda sunt, scilicet e cantharidum puluere, aceto acerrimo imbuto, euphorbio, sinapi, ammi, ac pyrethro commixtis; tumenti parti emplastrum ex farina hordei, lacte, saccharo, & vitellis oui, vel oleum amygdalinum, cum medulla cassiæ adhibendum; ac alia quæ maiorem humorum fluxum concitant, declinanda ne æger eorum impetu, vti accidit præfocetur.

Conclusio 7. non summa bubonis maturitas expectanda est, ne pus acrimonia concepta, per arterias cordis vitales spiritus, tum influentes, tum insitos inquinet, antequam cutim disrumperit. Non etiam bubo aperiendus ferro est, antequam inchoatæ maturitatis signa prætulerit, nam tum maior phlegmone concitatur, excandescit humor, febris efferuescit; ac benignum apostema in cacoethes desciscit: pus vero septimo, nono, vndecimo, & decimoquarto die conficitur; vt enim in venis putridus humor concoqui, ita in parte inflammata ex Hippocratis, & Galeni obseruationibus consueuit: inde puris confectio ex summo febris ardore, ac dein sequuta remissione conijcitur: non aliter enim quam crises molesta nox præcedit, ita cum pus conficitur, maximus dolor incandescit: qua porrò magis attenuata cutis extumuerit, apostema incidendum est, ac dehiscens cauitas linamentis oleo rosac. & vitellis ouorũ delibutis implenda.

Conclusio 8. si pestiferi tumores, qua maiores venæ, arteriæue repunt, aut tendines porriguntur,

tur, increuerint, inuri ſine ſpaſmi diſcrimine non poſſunt: vel ſi ferro ſecantur, cauendum ne arteriæ, venæque maiores incidantur, ne ex nimio ſanguinis fluxu æger animam vomat, adeoque virium ſumma ratio habenda eſt; iuuat quidem, ſi ſanguis cum pure fluxerit, cum ita parte oneris leuetur natura, at ſi nimius fluxerit, reſtringendus eſt ex aloe, & thure æquis partibus, cum albumine oui, & pilis leporis permiſtis.

Concluſio 9 ſi tanta humorum copia influxerit, vt periculum immineat, ne obrutus calor natiuus præfocetur, quod ſumma inflammatio, atque ex atro vireſcens, color indicabunt, repercutientia circumiacentibus partibus imponenda ſunt ex malogranato acido aceto incocto, maceratoque cum vnguento roſaceo, omphacino, vel ſuccus omphacii, ſemperuiui cum albuminibus ouorum, aceto roſaceo, & oleo nenupharino temperatus admouetur: ad proliciendum vero venenum, tum calentes mactatorum animalium carnes: cum fotus calidi ex emollientibus, aut pulticula panis cum lacte, de quibus ſuperius actum eſt, iuuant, nam ſi fœliciter peſtis ſudore depellitur, cur non ſotu aperta ſpiracula virus exſudent.

Concluſio 10. ſi bubo gangrænam trahit, multiplici inciſione ſulcandus eſt, dein aqua ſalſa calenti abluendus, tum aceto e ſcordio, vinoque ſtillatitio myrrha, & theriaca condito ad putredinem arcendam perfundendus; vel vnguentum ægiptiacum, & mithridatium permiſcendum, quæ ſi veneni.

neni ferocia eluserit, candenti ferro inurendus est bubo, moxque exusta pars scarificanda, vt per eas rimas halitus venenati ex parte viua diflari possint, quo vero eschara citius remoueatur, vnguento ex vitellis ouorum butyro, adipe suillo, therebinthina, & seminum lini, & fœnugræci, mucilagine, oleoque rosaceo perlinitur: par ratio est, si ignescens ferrum, auersante ægro; causticum, energicum, siue potentiale applicitum fuerit, si vicinæ partes inflammari, nimio rubore videantur, vnguento rosaceo caphurato oblinendæ sunt, si liuorem traxerint scarificandæ, vt sanguinis nimia copia exonerentur, ac post fotum theriacalem emplastrum additur ex hac formula.

℞. vitrioli, drachmas tres, minii sex; ceræ, & olei singulorum vncias tres in emplastri formam decoquito. Concidente eschara ad emundandum vlcus curæ conuertendæ.

℞. Succi absinthii, apii, scordii, nicotianæ, singulorum vncias duas, mellis rosacei, vncias duas, & dimidiam, therebinthinæ, pellucidæ vnciam, farinæ hordei sescunciam, myrrhæ drachmas tres, decoquito donec concreuerint.

Vel ℞. mellis rosacei vncias iii. pulueris scordii, pulueris aristolochiæ, æruginis, singulorum drachmas duas; syrupi absynthiaci vncias duas, pulueris aloes, masticher, theriacæ singulorum drachmam, aquæ scordii, & aceti singulorum sescunciam, omnia in melleam crassitiem decoquito. Si extergens, validius flagitatur.

℞. vnguenti ægiptiaci, & basilici singulorum vnciam, præcipitati drachmam, ac diligenter permista inungito, perpendenda vero est mollities corporum, vel durities, ac prout putrida sanies, magis vel minus affluxerit detergentiuum validiorum vis augenda, aut infringenda est: si nimiam virulentorum, ichorum copiam vlcus, profuderit, eximium est vnguentum, hoc ad serpentis putredinis virus extinguendum ex descriptione Ambrosii Paræi lib.22.cap.34.

℞. auripigmenti rubri vnciam, calcis viuæ, aluminis vsti, corticum granatorum thuris, gallarum, singulorum drachmas tres, olei, & ceræ quantitate sufficienti fiat vnguentum.

Cōcl.11. ne venenū palindromē in partes internas moliatur, diu apertum vlcus tenendum, vtque experimento compertum est, lue gallica infectos occlusis fonticulis, quibus noxius humor fluebat, grauissimis doloribus, intendentibus sese tenebris, quibus agitabatur virus, discruciatos: ita eos, qui citius quam par erat, bubonum vlcera cicatrice obduci siuerant, pestis occulto semine hærente, adhuc in corpore, extinctos, vsu confirmatum est. Ne coeant ergo labra vlceris, ægiptiaci vnguenti, & præcipitati pulueris permistione coitio inhibetur. Si vero obducenda cicatrix, videatur vnguento aureo, vel diuino, ex subiectæ descriptionis formula composito; chirurgus vtatur.

℞. olei rosacei, libras duas lythargyrii, cerussæ singulorum vnc.ii. pompholygis semunciam, therebin-

rebinthinæ pellucidæ sesquunciam, resinæ vnciam, succi nicotianæ libram masticheś, thutis, sarcocollæ, mirrhæ singulorum drachmas tres, ceræ virgineæ quanti. suffic. fiat emplastrum ex arte.

De Carbunculi curatione per topica.

CAP. XVII.

CArbunculum medicarum definitionum author huius orationis circumscriptione expressum proposuit: *Carbunculus est vlcus crustosum quod depascitur, cum fluxione coniunctum, interdum vero cum glandularum inflamatione, & febre.* Describitur à Galeno in comment. lib. 6. aph. 45: & lib. 5. secundum genera ad eiusdem libri calcem, *carbunculus vlcus est crustam ciens cum inflammatione vehementi totius circumiectæ partis, vt febres acutas, & pericula extrema inferat:* & comment. 3. in lib. 3. epid. text. 35. ita gigni edocet *Carbunculus ex calido quidem feruore materia vero crassa originem habet*, his consentanea repetit lib. de humor. cap. 6. & lib. 14 meth. cap. 10. a quo Ægineta lib. 3. c. 22. Aetius, Ruffus, Alexander, Trallianus Oribasius, atque ex Arabibus Rhases in continenti: Auicenna lib. 4. fen. 3. tract. 1. c. 9. Halyabbas, & cæteri Arabes tum Latinobarbari, & re-

recentiores polituli, non discrepant in quorum extremo agmine cultissimo Fernelius lib. 7. de partium morbis cap. 2 aureo verborum ornatu; ita sententiam suam de carbunculo explicat: *Carbunculus ex sanguine originem habet non eo quidem tenui, & laudabili, sed crasso, ac nigro calido tamen feruente, atque corrupto. Hic in quacumque partem inuaserit, eam mox excurit, pustulas circum se ardentissimas acerrimasque ciet: tandemque ardoris vi crusta, vel nigra, vel cinerea obducitur. Huic partes vicinæ longo sæpe tractu consentiunt caloris dolorisque participes; valida quoque febris accersitur; inflammata pars nunquam suppurat, sed feruore exusta corrupta carnis lobum tandem excutit, quo excidente vlcus cauum sordidumque manet, hocque vno maxime a cæteris sciungitur tuberculis; carbunculorum alius simplex qui e solo ardore simplici que putredine nascitur, alius malignus qui his etiam iungit venenatam qualitatem: talis in pestilentia grassatur* Heurnius in lib. de peste; ita decernit *carbo in basi rubet supra basim nigrescit, in cacumine vesicam gerit qua disrupta fit vlcus fœdum pestiferum.*

E dictis efflorescit duas esse anthracis siue carbunculi species; nam alii sæuiente peste frequentissimè illius characterem exprimunt, & vt ita dicam imprimunt pestis insignia: alios vero cum humores insolito feruore excandescunt aliquando in ægris erupisse perspeximus veluti etiam vesiculas flauo, & atro humore turgentes non sine fu-

ne-

nesto exitu protuberasse : qui vero occultas venefi-cas qualitates explodere consueuerunt primum carbunculorum genus ex sanguine adusto, se-cundum ex retorrida bile, vel atra exusta pullu-lasse disceptant, qui vero venena occulta huma-nos scilicet sensus non perspicacem intelligentiam fallentia, grassante pestilentia vigere comprehen-derunt in carbunculis siue anthracibus dum pestis cœpit incrudescere tacitum virus agnoscunt; quod triste symptomatum satellitium, vomitus, cephal-gia, anxietas cordis, & palpitatio viriumque sub-ita depressio demonstrant.

Animaduertat porrò physicus carbunculos pesti-feros: musculis tum dorso, collo, brachiis, articulo-rumque commissuris oblonga forma, cum inten-so ardore inhærescere, & si temperamentum ægri spectet adustæ bilis atræ suspicio aberit, adeo, vt æquo iudici pateat ægri humores venefico semine infectos tristem hanc pestilentiæ, sobolem pepe-risse. Obseruandum etiam carbunculos, qui in cir-cumiecto orbe varios colores instar iridis ex atro, flauo, viridi, liuido, luteo referunt: triste lethi præsagium pingere, sedula etiam tenendum men-te modo carbunculos symptomatice erumpentes febrim antecedere modo vna cum febri ebullire modo tertio, quarto, quinto, aliquando septimo die symptomatico, vel critico motu corpus inficere: non omnes etiam ex eiusdem materiæ fonte sca-turire, sed magnum in iis curandis ob materiæ va-rietatem artis discrimen excurrere: in principio

etiam

& in incremento, ſtatu, ac declinatione varia remediorum genera a peritis admouenda: in quibus etiam admouendis ordo maxime ſeruandus eſt: nam ſi conſulas pallidum medicorum ſenatum: varias ſinguli promunt ſententias: alii carbunculum cruceatis conciſionibus diſſecandum, vt Antonius Termiſonus pronunciant: alii punctim infligenda vulnuſcula contendent, vt Hollerius: addent alij cucurbitulas applicito igne ad trahendum latens venenum admouendas, ſulcatoque inciſionibus carbunculo iterum ad exſugendum prauum ſanguinem applicandas: opponet ſe Auicenna lib. 4. fen. iii. tract. 1. cap. 10. & controuerſiam mouebit, quod remedii genus adhibendum ſit *fortaſſe* (inquit) *eſt neceſſe & propriè in pruna facere ſcalpellationem profundam, vt egrediatur ſanguis malus, conſtrictus in ea, qui eſt in natura veneni, & non fiat illud quando materia eſt decliuis ad choleram* diſceptabunt alii ſanguiſugas, vt Montagnana ad ſugendam saniem: alii diſciſſos per anum pullos, vel pipiones imponendos carbunculis: alij atræotica, & eſtica allinenda. Alii ignito ferro adurendum carbunculnm, vt veneni labes abſumatur imperant: modo tamen neruoſas partes non comprehendat, ne ſpaſmo æger conuellatur: alij non actuali igne, ſed potentiali ſcilicet cauterio extinguendam vim eius veneficam cenſebunt, vt Ambroſius Paræus alii medicamentum non ita vehemens, ſed eſcharoticis finitimum admouendum contendent, vt aſclepiades,

Apio,

Apio, & Apollonius: alii emplastra alia fingent; sed quis in tanto medicamentorum apparatu delectus habendus sit discernere maioris peritiæ, & laboris est quam eorum struem labore improbo cumulare: adde alios omnem comparatam medicaminum syluam euersuros hoc axiomate: spernenda morborum symptomata, sed omnia studia in curando morbo ex quo symptomata oriuntur intendenda, atq; adeo phlebotomiæ, & pharmacorum præsidia potius quam topica conquirenda. At de his vniuersalibus antea actum est nunc de topicis lis vertitur.

Si inducias morbus ferat, maligna veneni labes ad externam partem a principibus partibus submotam prolicienda est: itaque aliqui solerti artis lenocinio discissos per anum pipiones, vel pullos gallinaceos modo catellos dissectos modo hircinum pulmonem admouere: modo etiam deglabratam pullorum viuentium anum clauso gutture applicuere, & si animal extinctum fuerit, veneni exhausti argumentum erit, fomentis etiam calidis applicitis pestilens materies foras adducitur.

℞. scabiosæ, caudæ equinæ, tapsi barbati, chamomillæ, meliloti ana manip. 1. nardi celticæ vnciam, bulbos duos liliaceos cum aqua, & oleo è scorpionibus fiat decoctio; hac imbuti puluini quadrati gossypio, vel stuppa referti calentes imponantur carbunculo, ac sæpius mutentur.

Deinde hoc vnguentum ex descriptione Montagnanæ, consilio 286. alline; nam ad venenum

trahendum domandumque confectum est. ℞. olei nardini mastichini singulorum sescunciam olei e scorpionibus drach. vi. olei rosacei vnc. iii. ammoniaci, serapini ana sesquidrachmam, therebinthinæ lectissimæ vnc. iii. myrrhæ drach. ii. sarcocollæ masticis thuris cuiusque script. iv boli armeni drach. ii. ceræ albæ vnc. ii. Gummi in aceto soluantur dein cum pulueribus misceantur, ac demum vnguentum decoquitur, cum succi vincetoxici vnc. v. donec idem succus vi ignis euanuerit si res vrgeat e diachylo theriaca, & bulbo liliaceo commistis citius paratur: Pars vero circumiecta carbunculo, refrigerante, & astringente linimento munienda est de quo inferius.

Profuit etiam cancros modo, aut ostrea, aut ranas, aūt vermes contudisse atque carbunculo applicuisse, nam venenum prolicere, tum etiam ardorem carbunculi delinire consueuerunt. At grauissima exoritur controuersia: num potius ferro, & igne certandum sit ob grauissima hæc argumenta: carbunculos enim non raro exarescere, & bubones euanescere, certo profligatæ vitæ indicio; ne ergo venenum ad vitæ ipsius arcem expugnandam retro prouolet, extinguendum cauterio. Secundo malignam adeo esse pestiferi veneni vim, vt ad suppurationem adduci nequeat, nam vicinas partes maligna putredine contaminare adeo, vt interdum teste oculato Paræo lib 22. cap 36. & iudice Hippocrate membra integra corruperit: ergo non admouenda sunt in principio suppurantia:

sed

ſed potius ignis, aut energia, & poteſtate, aut actu conſumpturus venenum applicandus eſt.

Obſeruandum circa carbunculos: econtra volunt eruditione conſpicui archiatri, tantum interdum ardorem, vna cum ſiti intenſa, & lingua tincta atro colore, ex ardentium partium internarum fuligine euolante in caput, contracto inflammari: præcipue dum ſirius radios ſolares in tellurem reflectit, vt à recta medendi ratione omnino abſit in tanta ſymptomatum ſyndrome, ignem igne accendere. 2. quantumuis virus actuali, vel potentiali igne abſumatur: tam efferam, tamen vim mali ægrum corpus peruaſiſſe, vt æger ſit periturus, pereuntis vero ægri carbunculo, ſolatia lenia veluti ſcordium, ſcabioſam, dictamnumque incocta lacte cum plantagine, & farina hordei, & oleo ſcorpionum admouere, longe ſatius fore, quam periturum ignis terrore efferare: præcipue ſi pars carbunculo læſa, præcellat dignitate. 3. ſtatuamus ad carbunculorum medelam nil aptius fore, quam ſi ignito ferro adurantur, tamen obſtat grauiſſimum contraindicans, ſcilicet ardens febris, quæ cum applicito ferro candenti augeatur, & ægrum extinguat, ſatius eſt febri, quam carbunculo ſuccurrere. Probatur vero augeri febrim ex inuſtione, & humorum feruore, nam ſi miteſcit febris ex refrigerantibus epithematibus: ergo ex inuſtione candentis ferri augebitur: nil vero iuuat percurari carbunculum, & interfici ægrum. 4. licet igne, virus ſuffuſum carbunculo aboleatur, maxima tamen

veneni pars sparsa corpore efferuescet, & maior vtilitas speranda est per blande trahentia, vt conceptum corpore virus difflctur, quam noxa ex retenta aliquantulum in carbunculo venefica labe pertimescenda sit. 5. de cancris malignis pronuntiat Hippocrates aph. 38. lib. 6. *Melius est non curare, curati enim cito pereunt*, & Galenus in commentario profitetur veteres in hanc abiisse sententiam. *Omnino abstinendum consulunt à remedijs potentibus in omni cancro.*, atqui curandi carbunculi, & cancri cum vterque ab atra bile maligni moris oriatur, eadem est ratio, ergo vehementiora remedia, quibus humor efferari potest, sunt defugienda. 6. Galenus lib. methodi 14. cap 10. cataplásma ex plantagine, vel lente, & mica panis in carbunculo vsus est, dein pastillos Musæ, Andronis, vel Polyidæ liquari cum vino dulci ad lentam crassitiem iussit, ergo à præceptis tanti in arte medica principis non videtur deflectendum, ac si crustam cineream, vel nigram, carbunculus induxerit scabiosam, cum butyro maceratam imponendam, cum ita facilè dimoueatur. 7. in carbunculo hæc remedia fœlici successu adhibita comprobatum est, primo scarificatione leui sulcatum fuisse carbunculum. Secundo admotos pipiones, vel gallos gallinaceos per anum dissectos. Tertio theriacam cum oleo Magni Ducis, aut Carauitæ inunctam. Quarto emplastrum e radicibus scordij, vel scabiosæ, & aceto perlitum fuisse. Proximo die iterum scarificatione leui sulcabatur pars carbúcu-
li

li inusta, admouebantur cucurbitulæ, vnguentum ægiptiacum, aut trochisci Andronis cum theriaca, & oleo aduersus venena composito allinebatur, ac si horum remediorum vim venefica prauitas eluderet, ad extremum ignis præsidium chirurgus persugiebat. 8. vt plurimum noxam afferre ignaua adhibere remedia cum celeritate opus est; ita exasperata vehementioribus natura adeo prosternitur, vt vires nullis postea præsidiis colligere possit, & quæ humorem cacoethea paulatim concoquendo, paulatim perduxisset ad maturitatem repente exulcerata grauiori medicamine coctionem aggredi nequit, sine qua tamen nulla salutis spes affulget, vt Hippocrates obseruat lib. 1. epidemiorum sect. 3 text. 11. si ergo ex inustione carbunculi vires exoluendæ sint, vel natura coctionem non sit aggressura ob humorem agitationé: à vehementiore eo remedio temperandum est. 9. quanta sit in concitandis morbis vis pathematum, vel in accersenda etiam morte, demonstrant, cruenti sudores, improuisæ mortes, repentinæ canicies; lypothymiæ, tristiaque humanarum calamitatum exempla, etenim perturbata anima, regere corpus non potest, suosque morbos illi imprimit, vt de iis hominibus, quorum angustus animus in extremas angustias corpus adducit, queratur Seneca, ipsos alienæ crudelitatis procurationem in se suscipere: atqui animaduersum est, plerosque adeo timidi esse animi, vt ad candentis ferri aspectum ita inhorreant, vt metu mortis mor-

 tem

rem incurrant, in his ergo inustio prætermittenda est; ac sinendum, vt potius lenibus remediis nil profuturis deliniti piam cœlo transfundant animã, quam ex inustione efferati in rabiem, indignantem animam vomant; tradit enim Theucydides anxios metu potissimum peste interijsse. 10. fixum est omnium mentibus inustionem carbunculi ægro intolerandam, chirurgo infamem, proscriptam à Florentinorum, Neapolitanorum, & Romanorum medicorum Senatu, ergo exosum remedii genus vsurpandum non est, ne medicus lætale potius famæ suæ, quam salutare, ægro vulnus infligat.

Concl. 1. sagaci coniectura assequi debet initio medicus, vel chirurgus, an carbunculus ad pepasmum, siue maturitatem adduci possit, an illius malignitas ferro candenti castigari, an prauus adeo sit humor, vel partis tam excellens dignitas, vt malum parum benignè tractatum incrudescat; atque ita circumstantijs aptanda sunt consilia. Si ergo carbunculi latiores, & rubicundiores extiterint de pepasmo spes concipitur, ac maturans lene emplastrum imponito ex subiecta formula.

℞. bulborum, liliorum, radicum altheæ singulorum semunciam, foliorum maluæ, bismaluæ, singulorum manipulum, seminum fœnugræci, lini, singulorum drachmas duas, florum anethi, chamæmeli, meliloti pugillos tres, ferueant cum lacte, butyri recentis, pinguedinis gallinæ, olei lini, olei scorpionum quantitate sufficienti, luteum

oli,

oui, croci parum: fiat cataplasma, plurium vero inopia vnum, & alterum sufficiunt, aut ex arnoglosso, farina lentium, pane furfuraceo, & lacte cōponito ad nimiam phlegmonem mulcendam.

Concl. 2. si suppurationis fœlicis spes ex circūstantiis præsētibus, & preteritis obseruationibus non assulserit: vbi carbunculus erupit decerno fomentis calidis (vti insinuatum est) venenum ad partem affectam proliciendum, mox cucurbitulam apponendam: secundo scalpello carbunculum in crucis decussatæ modum sulcandum, tertio vnam, vel duas hirudines in circuitu applicandas: quarto, vbi saturatæ maligno sanguine exciderint, iterum applicandam cucurbitulam, vt reliquum prauum sanguinem trahat: quintò, aqua salsa calenti abluendum vlcus: sextò carbunculi apicem adurendum ignito auro, vel ferro in viris robustis; nam teste Celso lib. 5. cap. 28. *nihil melius est, quam protinus adurere: neque id graue est: nam non sentit quoniam ea caro mortua est, finisque adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est.* at in aliis mollioribus corpore, vel animo; adurendum cauterio potentiali, vel aqua forti, vel puluere, aut alio medicamine puta vnguento ægiptiaco, aut Andronis, vel polyide, vel Musæ trochiscis maluatico maceratis, vel alumine vsto cum aceto, venenum illi hærens extinguendum: Porrò circumstantium carbunculo partium curam designato antea modo promouendam, adhibitis iis, quæ ardorem temperent atque putredinem coerceant: vnguen-

guenta vero è cerussa & litargyrio, e tutia, & to-
saceum camphoratum in mortario plumbeo,
plumbeoque pistillo macerata valere comproba-
tum est.

Conc. 3. si carbunculi pectus, collumue, aut caput
obsederint licet ob proximam cum vitæ sensusq; ac
principiis coniunctionem, vita fermè conclamata
sit: quia tamen vbi exigua veneni vis excepta
corpore, atque ad externam partem amandata
est: natura in deploratis malis, nonulla edit pro-
digia, ediço tum ad pestis latentis semina ad lon-
ginquas partes adducenda, vesicantibus remediis
brachiorum tibiarumque pulpis admotis vtendum
ex hac formula. ℞. cantharidum vnciam euphor-
bii scrupulos ii. ameos sinapi, piperis scrup. iiii.
cum fermento, & aceto scyllitico fiant quatuor
vesicantia, quæ in curanda peste maximè iuuant.
At obiiciet quis febrem auctum iri. Respon-
deo id omnino constare: sed maioris referre, vt
eo mali compendio venenum ad longinquas par-
tes trahatur, quam vitæ sensusque arces expu-
gnari patiamur; ita porro concindendum car-
bunculum a peritissimis accepimus, vt nummuli
amplitudinem non superet, aiebant enim si pars
circumiecta secta fuerit phlegmonem grauiorem
exardescere, & nouâ peste pestem armari: quan-
tumuis enim ad diffiandum venenum scarificatio
partium iuuerit tantum tamen dolorem in parte
inflammata oboriri vt plerique indignantem ani-
mam ob febris æstum euomant, nam ex Celso ru-

bor,

bor, tensio partis, ardorque phlegmonem arguunt, visa est melior opinio, quæ phlegmone tẽtatas partes scalpello non attingit præcipuè si neruosæ extiterint; nam tunc nefas est eas ferro contingere: veluti, cum carbunculus collo, cubitis, carpis, genibus calcaneis infixus hæret, tum vero conueniet hoc cataplasma.

℞. liliorum alborum, & iridis bulbos ad vnc. iii. sub cineribus decoque, dein in mortario pinse, adde farinam seminum lini, fœnugræci cuiusq; semunciam: florum chamæmeli, & meliloti sing. vnciam folior. scabiosæ manip. i. theriacæ drach. iii. cum pinguedine porcina oleo e scorpionibus, & melle rosaceo lento igne in formam emplastri maturantis decoquatur.

vel ℞. fol. branchæ vrsinæ, rad. althεæ cuiusque vnc. ii. flor. camæmeli, meliloti singul. pugill. ii. tapsi barbati, nicotianæ viridis, tussilaginis, morsus diaboli, scabiosæ manip. i. bulliant cum aqua: deinde pistis adde pinguedinis porcinæ vetustæ sescunciam, croci scrupulum, mithridatii drach. ii. stercoris columbini drachmam duo vitella ouorum, & cum maturitatis alicuius indicia obscura præbuerit; incidatur, ita carbunculus, vt nerui non incidantur: obscura diximus indicia; nam antequam illustria signa appareant, neruosæ partes corrumperentur. Inurendum carbunculi fastigium si liuorem traxerit balsamo ardenti aliqui præcipiunt, vel oleo hyperici feruenti, vel scorpionum cumposito; ita tamen, vt circumiectæ

partes non perurantur alii cauterium quo fonticuli consueuerunt aperiri admouent ad veneni vim elidendam : alii leuius linimentum fingunt ex fuliginis scilicet vncia, salis semuncia cum ouo contrito alii ex vitriolo cyprio, vel Romano, vel ex illius oleo carbunculi apicem inunxere: alii præcipitati puluerem cum vitriolo, vt Forestus Delphis, & Ioannes Baptista Neapoli summo carbunculi acumini imposuere hic enim postremus diachylum minus sine gummi; nam gummata, & similia nimio lentore venenatos halitus retinent in corpore, imponebat ita carbunculo, vt foramen pateret qua puluis præcipitati allini carbunculi apici posset: ad hunc continendum stuppam albumine oui, & aqua rosacea delibutam addebat: tertio circumiacentem sanam partem astringente pharmaco muniebat: alii trochiscis e minio, vel vnguento ad carbunculum extinguendum parata, aut etiam aqua ad vrendam vim malignam confecta vsi sunt, quam Ioannes e Vico lib. 5. additionum suarum descripsit. ℞. mellis vnc. ii. aluminis rochæ vnc. ii. & semis salis gemmæ drach. ii. sublimati sesquidrach. succi scabiosæ drach. vi. floris æris vnc. i. drach. vi. aceti rosacei vnc. iii. & semis omnia spathula leuiter agitentur donec in vnguenti formam cócreuerint: quod ad medicamenta, quæ circumiicienda sunt attinet, & vulgo defensiua vocantur egregia est hæc formula.

℞. olei myrtini, rosacei omphacini cuiusque vnc. ii. succi semper viui plantaginis solam aceti

albi singul. sescunciam ferueant simul donec succi absumpti sint adde ceræ albæ vnciam santalorum rubrorum citrinorum, & alborum cuiusque drachmam decoque in formam vnguenti, vel succum semperuiui, cum aceto albumine oui, & bolo armeno commisce, vel emplastro ex duobus malis punicis in posca, vel aceto decoctis, & contritis vtere addunt alii folia plantaginis.

Vel ℞. vnguenti albi camphorati, & rosacei vnciam boli armeni semunciam olei myrtini aceti rosacei quantit. suff. misce pro linimento. Recentiorum inuenta hæc veterum arti consentiunt; nam ii carbunculis adurentia imponere consueuerant; ita Apio nitrum rubrum arsenicum sandaracham chalcitida atramentum sutorium diphrygem pari singulorum mensura læuigabat aceto iisque desiccatis tritisque vtebatur; ita Demosthenes Massiliensis similibus causticis maxima laude carbunculos percurabat, cuius medicamentum prodidit Asclepiades, atque ex eo Galenus velut pigmentum eximium myrothecio suo de compositione medicamentorum lib. 5 decerptum inclusit.

Magni pariter florida, & Diodori puluis ex escharoticis cõstabant, quæ apprimi carbũculi fastigiato apici consueuerant: Thomas vero Grossius, vt reliquias veneni latentis in corpore trahat, commendat vesicans, confectum ex drachmis iii. chãtharidum, sinapi scrupulo vno fermenti sesquidrachma superfuso aceto scyllitico: quo vero medicamentum in parte contineri ne ad aliam defluat

diachylon maius minusue agglutinari præcipit: At in attractiuis id obſeruandum, non plus trahendum, quam pars ferre poſſit. 2. carbunculus finitima interdum exedit, ac vidiſſe aliquos memorat Ambroſius Paræus, qui membra vnius palmi longitudine corripuiſſent: interdum etiam membrum gangræna corrumpit ergo tunc virus actuali, vel potentiali igne abſumendum eſt; ad obiectionem autem, quod veneni alterius latentis pars ob eſcharam quæ vi detrahi non debet, nec niſi octiduo ſponte excidit foras prolici nequeat. Reſpondeo ſi non ſat foras prolicitum venenum videatur cum referat Galenus methodi libro 5. eos e peſte euaſiſſe incolumes, qui ſcatebant vlceribus, veſicantia non quidem carbunculo; ſed aliis partibus inurenda.

Si enim carbunculus in pectore eruperit, prout in partem dextram, vel ſiniſtram inclinarit, veſicans pulpæ brachii affigendum eſt, vt pars veneni eo deriuetur: ſi medium pectus obſederit, vtrique brachio affigatur; ſi in axilla protuberet, tum in brachio eius partis, tum in ſpatula excitetur, ſi ventriculum obſederit anthrax cruri ſiniſtro, vel dextro prout in hanc, vel eam partem magis vergit, veſicans applicatur; ſi genui inhæſerit in tibia veſicans inuritur. Si plures cabunculi, vt aliquando vidimus pectus, dorſumue tum ventriculum, vel inguina infecerint, tum brachiorum, & tibiarum pulpis quatuor veſicantia applicanda ex ſuperioris formulæ deſcriptione.

Re-

Respondeo 2. ad Grossium cauteria in carbunculo, vel bubone pestifero respuenti non expectari octiduum ad remouendam escharam, nam si ignito ferro, vti in corporibus robustis, & cum neruosis partibus carbunculi non hærent, res geritur mox eschara in crucis decussatæ modum conscindenda est, vt teter vapor exhalet per ea spiracula, ne quod horrebat Grossius ad internas partes recurrat, nec vero vti admonet Ambrosius Paræus lib. 22. cap. 34. expectandum est, vt eschara sponte excidat, sed vt citius decidat medicamentis opus vrgendum est, hoc autem ipse proponit.

℞. muccilaginis altheæ seminis lini, cuiusque vnc. ii. butyri recentis, vel axungiæ porci, vnciam vitellos, ouor. tres, omnia in vnius molis concretionem redigito, & inustum carbunculum perline hoc medicamento.

Vel ℞. farinam frumenti, hordei æquali mensura vnc. iii. & cum decocto maluarum, & violarum, radicum altheæ, emplastrum solidum fingito, adde butyri, & pinguedinis porcinæ singulorum vnc. ii. cumque ab igne remoueris duos ouorum, vitellos adiice, demum herbarum folia, radicemque altheæ contusa, & cribro transfusa commisce. Excellentis huius linimenti dignitas certa experientia confirmata est; eius enim beneficio longè citiùs escharam remoueri, quam butyro, vel axungia porcina exploratum est, si cætera desint vitellum oui, cum sale impositum iuuat. Vbi excidit eschara, emundans medicamentum, admonen-

uendum est carbunculo, quod ex Valesci, & aliorum obseruationibus ex melle, succo apii, & farina hordei, facilè componitur: Guido vero e Cauliaco plurium sæculorum experientia comprobatum hoc vsurpabat.

℞. therebinthinæ pellucidæ vnc. mellis rosacei, vnciam, farinæ hordei, drachm. ii. succi apii drachmas x. feruant simul, donec succus absumptus euanuerit, farina vero hordeacea, solerter spatula agitata commisceatur: quia vero interdum sordes inhærescunt, vnguentum ægiptiacum, & præcipitati nonnihil adhibendum est.

℞. vnguenti ægiptiaci, & basilici singulorum vnciam, præcipitati semidrachmam: hæc soleriti mixtione in vnam massam redigito, his vero detergentibus, vehementioribus vti cogimur, ne vlceris labra coalescant, nam si intempestiue cicatricem obduci sinamus, antequam venefica labes vniuersa exhalarit, discrimen imminet, ne alij carbunculi erumpant, vt sæpe contingit. Propter vero veneni vim etiam inuenit ars theriacam, & mithridatiū vnguentis detergentibus permiscere.

℞. succi plantaginis, matrisyluæ, apii, singulorum sescunciam, mellis rosacei vnc. ii. therebinthinæ venetæ vnc. ii. ac dimidiam farinæ hordei sesquidrachmam, pulueris aloes drachmam, olei rosacei vnc. ii. theriacæ mitridatii singulorum scripulum dimidium: fiat linimentum.

At quia mollis, & fungosa caro circum labra carbunculi, ex affluxu inutilis humoris extuberat,

ea egregie aluminis, vsti puluere inſperſo caſtiganda eſt. Si qua caro putrida ſubſit in vlcere, vnguento triapharmaco cum thuris quinta parte vtere, vel hoc à Celſo compoſitum admoue.

℞. reſinæ therebinthinæ fuliginis thuris ſingulorum drachmas tres, ſquammæ æris drachmam, lithargirii drach. ii. aluminis tantumdem, ſpumæ argenti ſemunciam. Si vero gangrænæ periculum intendat, carbunculus, conſcindenda ferro eſt cutis, ita tamen, vt maiores venas, arteriaſque non ſeces, ac dein aqua ſalſa calenti aceto, ſcordiique ſucco, & aqua vitæ, in quibus vnguentum ægiptiacum, myrrha, theriaca, & mithridatium, ſoluantur partem perfundito: nam ad eluendum, domandumque virus egregia vi pollent: ac ſi non ſuffecerint, ex Hippocratico oraculo ad ignitum ferrum confugito. Quod enim ferrum non ſanat, ignis ſanat, quæ vero ignis non ſanat, ea immedicabilia putanda ſunt: obſeruandum vero eſt nonnullos nimium audacter ſpiritum vini, myrtha imbutum parti gangræna tētari cœptæ plus æquo affundere; nam etſi putredinem inhibeat, inflammationem tamen putredinis parentem augere conſueuit. Vbi vlcus carbunculi abundè perpurgatum eſt, ac ſanies omnis venefica fluxit, implendo illi, danda eſt opera. ℞. ſucci tabaci, ſiue herbæ reginæ, vulgo nicotianæ dictæ, vnc. vi. ceruſſæ, lithargyrii ſingulorum drach. iii. thuris myrrhæ, ſarcocollæ ſingulorum ſeſquidrachmam reſinæ pini ſeſcunciam therebinthinæ, vnciam

ceræ

ceræ citrinæ vncias ii. olei myrtini quantum sufficit, & mellis: ceratum conficiatur. Denique si exasperandus remedio, vehementiore videatur carbunculus, leui medicamine abblandiri oportet: obseruandum tamen defugienda esse, quæ stipando cutem, ac reprimendo humorem, ad interna illum repellere possint, mulcet vero egregiè ardorem, nec repellit, quod ex spermate ranarum, thure, myrrha, caphura simul decoctis compositum est. Obseruandum quoque primis diebus ægiè somno indulgendum, nam vapores, & halitus venenati reflectentur in cor, interitumque allaturi sunt, præcipuè si pedes, & manus algeant. Obseruandum etiam in palpebris, in pudendis in parte cordi propinqua, carbunculos suppurantibus exasperari, & aliter in parte néruosa, aliter in carnosa, aliter in parte propinqua cordi, aliter in remota percurari. Si guttur carbunculus obsederit, primum cephalica, dein venæ, quæ sub lingua excurrunt secandæ.

Si bullæ, aut vesicæ eruperint, conscindendæ sunt scalpello, dein admotis cucurbitulis exugendus sanguis, nec non theriaca, oleo scorpionum: vel opobalsamo, aut hyperici oleo delibuta admouenda, ac circum malagranata cocta cum aceto, & bolo applicanda. Inter hæc externa, internaque præsidia in opus prouocanda sunt, cor nimirum oleo e scorpionibus composito, & theriaca, vel opobalsamo. & alkermis confectione, vel mithridato, vel oleo Magni Ducis linitur, vna cum

cum arteriis carporum, & temporum, aut si æstus ingens, humores accenderit epithemata cordi ex aqua rosarum florum aurantiorum borraginis cum aceti vncia, & triasandali puluere applicantur: vel aliqua ex electuarijs cardiacis, & venenum expugnantibus drachma. Cæterum de phlebotomia ad phlegmonem mitigandam accomodatissima deque potibus refrigerantibus, & diætæ genere antea actum est.

De parotidum curatione.

CAP. XVIII.

GAlenus libro definitionum medicarum de parotidibus, hæc pronuntiat *Parotides abscessus secundum aures sunt, hos nonulli dioscuros appellarunt: succedunt magna ex parte febribus, atque ab his liberant.* Hæc ille de parotidibus loquutus, quæ motu criticó erumpunt, ac salutem ægri periclitantis præsagiunt, cum natura victrix e substantia cerebri in adenas, siue emunctoria illius vitiatum humorem propulerit: de quibus Hippocrates lib. 1. epid. sect. 2. tex. 81. Dispar ratio est, cum parotides medio, vel symptomatico motu exuberant: ac materiæ copia tanta est, vt inflammationem grauissimam conciter, & acerbissimum dolorem inferat: nam cum per finitimas partes neruus syzygiæ quintæ, vt obseruant anatomici,

perque cerebri membranas diffusus excurrat, hinc tensione partium compressus, tristem sensationem mouet, secundo interdum materia tanta in cerebrum influxit, vt licet pars critico motu in adenas pone aures depulsa sit: quia tamen crisis imperfecta extitit, pars substantia cerebri suffusa hæret: tertio, vt materia glandulis aurium infusa, interdum ignea, & tenuis est, ac tum delirio & capitis dolore affligi ægros Galenus obseruat in comm. 3. 1. prorrh. tex. 73. alias frigida, & crassa quam coma surditasque indicant; ita alias maligna, alias etiam pestilens, & venenata est: quare visæ sunt pestes in quibus parotides extumuerunt: licet cum inguinaria pestis sæuit, minus frequenter emergant: si vero parotides molientis naturæ signa emicuerint, nec tamen eæ extumuerint, pronunciat medicæ artis princeps *dolores absque iudicatione soluti inutiles* quippe, vt explicat Galenus *transmigrationem contristantium succorum ad viscera ipsa factam ostendit* vnde mors ægris imminet, & tamen imperiti veluti debellato malo, triumphos in funera abituros stultè agitare consueuerunt.

Triplicē ergo parotidum nimirum benignarum, criticarum, malignarum, & pestilentium differentia constituta circa earum percurandarum methodum decernimus; reprimentibus, ac repellentibus nunquam vtendum: non modo in pestilentibus, & malignis parotidibus, sed neque in benignis, quod probatur ex Galeno de compositione pharmac. lib. 3. qui in parotidibus, pharma-

ca

ca electica siue attractoria adhiberi; ac si nil memorabile effecerint cucurbitulas strictioris oris affigi, aut fomenta assidua admoueri imperat: *Annitimur enim* (inquit) *vt affligens humor, ex profundo, ad cutem attrahatur; præsertim si in capite affectio sit firmata, humoribus videlicet in ipso obfirmatis*, ergo potiori iure, cum in peste correpto aut illius suspicione perstricto, parotidum signa erupetint, ad venenatum humorem foras proiiciendum curæ intendendæ sunt: sed cum frequentissimè comate laborant ægri peste affecti, quoties scilicet materia in cerebrum calore febrili subuecta, crassa, & frigida est, parotidas autem coma indicet: cur minus frequenter parotides in peste laborantibus extumescunt? Respondeo quo benignior materia fuerit eo cerebri facultatem expultricem ad eam depellendam maiore vi pollere; quo prauior vim eius quantumuis irritetur flaccescere; itaque oppressis comate ægris, peste correptis, licet exiguæ vitæ spes supersint inter alia præsidia, quæ prudenter admouentur, ad materiam e cerebro educendam, aut vesicantia glandulis, quæ retro aures sitæ sunt allinuntur; aut affiguntur cucurbitulæ, ac leuiter cutis scarificatur: Si verò cerebrum ea vi valuerit, vt prauum humorem in emunctoria sua detrudat, non aliter quàm in bubonibus augendis, fouenda pars est calente oleo liliaceo, & anethino, & chamæmelino, adiecto oleo e scorpionibus, vel spongiis madentibus decocto radicum altheæ, & florum meliloti, & chamæmeli,

nec non ſeminibus lini, & fœnugræci, cum oleo rutaceo, aut oleum magni ducis Hetruriæ contra venena compoſitum nec non cucurbitularum ſuctu augendus tumor, & ſcarificata pulli anus admouenda, aut conſciſſus pipio, hinc inde adhibendus, mox emplaſtrum maturitatem promouens applicandum. ℞. bulborum liliaceorum vncias duas, vitella ouorum numero duo, butyri recentis, adipis, ſuilli, vnguenti dialtheæ, vnguenti baſilici, ſingulorum ſemunciam: farinæ ſeminum lini vnciam; fiat cataplaſma, vel diachylon theriaca, & oleo e ſcorpionibus compoſito delibutum admoueto.

At quia grauiſſimum impendet diſcrimen, ne materia ab emunctorio in partem principem refluat, artis medicæ gloria clariſſimi ſophi cenſuerunt, partem inurendam non modo in peſte, ſed in aliis etiam febribus vehementibus, & malignis e quibus Franciſcus Valeſius in 16. Hippocratis de Hippocomo Palamedis in Lariſſa loquentis textum lib. 5. epidem. *Vixit vſtus, & purgatus per catapotium, & cataplaſmate tumori impoſito* hunc commentarium edidit *quantum vſus fuerit. Hippocrates vſtione, ſæpe iam animaduertimus. Ego quoque in parotidibus, quæ ex morbis alijs, non leuibus fiunt, cito vel nulla expectata ſuppuratione, vſtione vtor in ipſo tumore: nulla enim ratione melius prouidetur, ne tumor recurrat, ſed materia per ipſum vlcus quod infligitur expurgetur* idem in comment. 92. text. lib. 9. epid. repetit *Durum* inquit

adhuc

adhuc tumorem neque vlla suppuratione expectata, ignito ferro aperio, altera quidem in parte, si alteram solum obsederit tumor, in vtraque vero, si vtramque, & cataplasma suppurans appono, plerumque res cedit bene, nam breui computrescens, cum inusta escharà tumor, manare pus incipit, & per id orificium caput, & reliqua viscera perpurgantur. Antequam vero inureret in febribus malignis glandulas retro aures sitas, solitum eas laxante oleo chamæmelino fouere, & cucurbitulam affigere testatur, ac plerumque a præsenti letho ægros vindicatos, maledicorum vero carnificinæ inuidiam conflantium dicteria retundit: vilem nimirum adenosam partem quæ vri, & secari possit. At infœliciter (inquiet quispiam) res successit in pluribus, qui inustis inguinum bubonibus perierunt, ergo multò minus parotides proximæ cerebro inurendæ sunt; siquidem inusta emunctoria hepatis, minus nocere possunt, quam capitis: Respondeo, vel illos inustos esse cum summa arderet inflammatio, quam pars affecta pati non poterat, atque ita eaucta periisse: aut viribus iam deficientibus factam inustionem: atque ita inuidiam crudelitatis pestis vltro a medicis, & chirurgis imprudenter susceptam: aut etiam sapienter factam vstionem, sed irrito successu, cum malum tam graue, & pertinax esset, vt omnia remediorum genera. quæ peritissimi adhibituri fuissent aspernaretur: Maxima porrò artis pars est: vt perpendatur, num ægra pars vstionem tolerare possit; nam si phlegmone

mà-

magna excandescat, augenda illa non est imprudenter, quare Galenus lib. 3. de compos. pharm. cap. de parotid. hæc obseruat *cum vehementi impetu fluxus illabitur, nihil nos curiosius agentes omnia naturæ permittimus; si enim siue cucurbitam, siue aliud pharmacum humores ex alto ad cutem attrahens admouerimus, vehemens dolor hominem apprehendit, vnde & vigiliæ fiunt, & febres succedunt, ac vires exoluuntur: mitigare itaque tunc, & humorum influxui opitulari conuenit, per cataplasmatum maximè lenientium vsum.*]

Ad minuendum huiusmodi humorum confluxum viri doctissimi incidendam rursum cephalicam in brachio eiusdem lateris præcepere vti saphænam si nimia phlegmone inguina corripuerit: Ad suppurationem porro mouendam emplastrum ex caricarum decocto, & oleo scorpionum cum farina seminis lini, ac croco adhibendum ac antequam omnino pus confectum sit, sectione pus eliciendum est. Licet vero maxima valetudinis spes in suppuratione consistat nonulli tamen facta suppuratione pereunt, quod animaduertit Hippocrates text. 84. sect. 2. lib. 1. epid. *Obijt* (inquit) *Scymni pictoris ancilla, suppurauit*: cuius rei causam perscrutans Galenus, opponit oraculum Hippocratis *concoctiones celer iudicium, & securam sanitatem promittunt* idque ita conciliat, vt posse fieri in aliqua parte concoctionem, totò morbo adhuc crudo dicat, quod tamen difficile est si quis omnium corporis partium sympathiam

con-

conſpirationemque perpenderit: nitidius vero rem explicuiſſe videtur in comment. eiuſdem text. Franciſcus Valeſius dum lætaliter computreſcentibus quibuſdam particulis id contigiſſe ait, cum enim eterogenei ſint ſucci: haud mirum eſt ſi in vna parte maturitatem adipiſci: in alia deficere in virus videantur: nunquam porro in peſtilentibus parotidibus perfecta maturitas expectanda eſt, vt aperiatur: ne citius æger intereat. aperto vero abſceſſu digeſtiua ex therebentina melle roſaceo, & ſucco apii adhibenda ſunt dein detergentia, quorum beneficio diu vlcus apertum occalleſcere non ſinatur, demum admoto vnguento aureo; vel ſimili cicatrix obducatur. Hæc modo ſuffecerint: nam de parotidum natura, impendentium ſignis, & prognoſtico ſuſius in aliis commentariis noſtris diſſeruimus.

De exanthematibus peſtiferis, ſiue peſtichijs.

CAP. XVIX.

Statuimus ex alio ampliore noſtro commentario tria eſſe exanthematum genera puerilibus ſilentio prætermiſſis, quæ ex reliquijs hauſti in vtero materni ſanguinis pullulare opinantur Arabes, alia benigna, quæ non modo in benignis febri-

febribus, sed etiam in iis, qui integra florent valetudine, ac præcipue in fœminis mollioribus ex tenui bilioso, vel melancholico sanguine venarum meatibus exudante effloruisse conspeximus, ac Ludouicus Lemosius, Petrus Pereda, Ioannes Colle, Marcellus Donatus conspexisse testantur: Alia purè maligna, quæ modo sine vllo tumore instar punctorum exilium, vnde puncticulæ, seu stigmata: modo instar lentium, vnde lenticulæ nomen traxere ex arteriali sanguine accenso cutem tingente: modo cum leui aliquo tumore in febribus malignis erumpere, quæ num expressa sint apud Hip. lib. 1. epid. sect. 2. tex. 8. & lib. 5. tex. 92. & lib. 7. text. 78. vel apud Galen. comm. 1. text. 22. in lib. 1. de regim acut. controuertitur: ea certe Actius serm. 9 cap. 129. Actuar. lib. 1. meth. cap. 23. Rhases lib. contin. 17 c. 1. Auic. lib. 4. fen 1. tract 4. cap. 2 & Iacobus e Partibus nitide expresserunt, vt Fracast. lib. 2. c 6. & alii, qui superiore sæculo ea primum emersisse putant, refellendi sint. Alia sunt pestifera paulo latiora, quæ pestichias appellarunt, quasi pestis prodomos, vel analoga pestis symbola: præcipuè, si nigro colore cutem inficiant maximè lætalia. Pandunt illa iter sequuturæ pesti; modo cum aliis pestis characterismis nempe carbunculis, & bubonibus erumpunt, summæque malignitatis ex intempestiua expulsione argumenta præbent: nec raro vna cum phlyctænis, exanthematibus, & phymatibus id est bullis, maculis, aut tumoribus vibicibus, seu liuoribus, vomitio-

tiones malignas, alui fœdam proluuiem, largos sudores, quæ omnia nil iuuant, & ægrè tolerantur, imò prosternunt vires, coniungi accidit: asperat etiam postea hæc maligna symptomata, alia malorum tristis cohors, delirium nempe syncope, & pulsus anomalus. Antequam vero erumpant, angi plurimum ægroti, & vigilare consueuerunt, vt Hippocrates lib. 2. epid. sect. 3. indicat, cuius symptomatis causam, si perscrutemur hos angores ex humore, qui interius secernitur, quem natura parat depellere, male afficiente parenchymata proficisci reperiemus, hinc dum erumpunt, & postquam erupere, vel tentantur delirio, vel comate obruuntur, si quis vero dictis, fidem non adhibeat, prouocamus ad sensum: nam viscera, dum maculæ efflorescerent maligno succo malè affecta fuisse, conspicuo argumento est, cum dissectis cadaueribus, quæ maculæ variæ consperserant, ipsa quoque parenchymata inquinata exanthematibus conspecta fuere, idque in pestilentibus maculis maximè animaduersum est, vt sint nigræ, vel liuidæ, aut versicolores, & non in extima tantum cute efflorescant, sed intimas partes inficiant, venenatus enim halitus cum excuti corpore ab infirma natura non valeret, partem, cui adhæsit, tinxit eo colore, cur vero hi delirio, alii comate affligantur, dum erumpunt exanthemata, siue pestichiæ id ex vaporum, qui malignam putredinem concepere, efferunturue in caput, crassitie, vel tenuitate pendet; nam si crassiores fue-

rint ſenſum,communem vinciunt, atque obruunt, ſin tenuiores exagitant, ac laceſſunt, vt veluti putridarum vndarum ſalo concuſſus fluctuet, cur etiam modo peſtichiæ tantum maculas imprimant, vt illud genus mali tantum ſuperiore ſæculo enatum aliquibus videretur, alias cutem leuiter extuberantes exaſperent, de quibus meminit Hippocrates lib. 2. epidem. ſect. 3. *Fiebant in febribus æſtiuis, circa ſeptimum, octauum, & nonum diem aſpredines quædam miliaceæ culicum morſibus ferè ſimiles, quæ tamen non admodum pruriebant in ſumma cute, & ad indicationem vſque perdurabant*, id ex materiæ craſſitie, vel tenuitate pendet, quippe ex tenuitate, ſimplex macula pingitur, nam tenuis admodum vapor cute arceri non poteſt, eam tamen tingere poteſt, qui vero ex craſſiuſculo ſanguine malignè putreſcente, aut tenui cum craſſo admiſto difflatur, epidermida in altum tollere poteſt, itaque aſpredines eæ in leuem tumorem elatæ, ſi non admodum pruriginoſæ fuerint chymi benignitatem indicant, vnde in Perintho plures conualuere, ſin vero pruritum ingentem, ardoremque attulerint, efferam maligni humoris vim arguunt, vnde carbunculi inſtar miliacei exanthematis igneo ardore partem inurentis incandeſcere aliquando viſi. Obſeruandum porro eſt primum vaporem veneficum eo deteriorem, quo attenuatior extiterit, vnde qui macula tantum inficit eo deterior, qui in æquali veneficæ labis gradu cutem in tumorem effert. Secundo obſeruanda

pars

pars est, in qua efflorescunt pestichiæ, nam si in regione cordi proxima, vt pectore, vel dorso eruperint, maius periculum minantur, de quibus Hippocrates in prorrhetico. *Num pungentes prurigines ipsis in pectore, aut dorso insint*, imò si in brachiis, & cruribus aspersi salutem, portendunt, naturam enim præstantem robore eo succos improbos depulisse arguitur: obseruanda tertio dies, qua erumpunt exanthemata, nam si eruperint critico diè cum febris remissione, præsertim iam euacuato corpore egregiæ salutis spes affulgent, obseruandus quarto exanthematum color, de quo Franciscus Valesius in comm. lib. 2. sect. 3. text. 3. *Indicat colorum differentia tantam malignitatis morbi differentiam, vt ex nigris, aut liuidis vix vllus euadat; ex rubris pauci admodum intereant*, ex nigris porro huiusmodi maculis colligi putant nonulli atram bilem accensam, in vaporem abire, ego vero venenato halitu, extingui in ea parte calorem natiuum, sentio, quo extincto niger color trahatur: obseruanda quinto exanthematum multitudo; *nam vel materiæ multitudinem, vel naturæ robur præcipue in parte remotiore designat*. Obseruanda sexto symptomatum aliorum syndrome: nam si alui fœda proluuies funditur, etiam intestina illis affici indicio est: hæc leuiter libasse suffecerit, nunc earum therapeiam exordiamur.

Controuertitur in primis, inter medicos num exanthematibus in morbi principio efflorescentibus phlebotomia celebranda sit: 2. num purgantia

medicamenta conueniant, vel si conuenerint, quæ potissimum deligenda sint. 3. num hydrotica congruant, 4. quæ præsidia ad expugnandam labem veneficam, aut reuellendam adhibenda sint, quid denique in administratione sex rerum non naturalium obseruandum sit.

Phlebotomiam nonulli exhorruere erumpentibus pestichiis, ne motus naturæ criticus, contrario motu perturbaretur, quippe à centro ad peripheriam moueri humores, exanthematnm excretio significat, at si incidatur vena, contrarius motus excitabitur, humoribus scilicet à peripheria ad centrum reuocatis: secundo tutius est veneficam labem ad externa pellicere, quam ad interna protrudere, ergo efflorescentibus pestichiis, permittenda non est phlebotomia sed frictiones, cucurbitulæq. admouendæ, ad materiam pestilentem, vel malignam ad externa deriuandam: tum sudorifera, & alexiteria erunt ægro porrigenda. Tertio *natura est medicatrix morborum*, vt ait Hippocrates, & medicus naturæ administer est, & illius propensiones spectare, & nutus sequi debet: ergo si ad propellendam in extimam cutis peripheriam malignam materiem inclinarit natura, cutemque exanthematibus asperserit, eius conatus phlebotomia infringendus non est. Quarto deficiunt vires in hoc morbo: ergo phlebotomiæ temperandum est.

Conclusio 1. Vbi in principio morbi exanthemata, siue in tumorem extuberantia, siue tumoris

ris expertia emicuerint, præmisso clystere sanguinis copia abundante ægro, vena incidenda est. Probatur. Ante omnia imminuenda est praua materia venis concepta, cum nisi exhausta eius parte, corpus ventilari possit, Ergo venæ sectio exercenda est. Secundo ad declinandum grauius periculum, venam aperire cogimur, ex Galeni imperio, lib. de curandi ratione per sanguinis missionem, cap. 12 *In quibus tibi sanguinis feruentis copia apparet, quam ocyssime eos vacuare conator, priusquam in principem aliquam partem ingruat, quamobrem nec per noctem sanguinem mittere verearis*, atqui non leue discrimen imminet, ne efferuescente sanguine non minus principes partes internæ malignis succis inficiantur, quam externa cutis ijs tingitur, ergo copia ebullientis sanguinis detrahenda est. Probatur tertio, natura mole sanguinis eam prægrauantis leuata fœlicius excretionem molitur Galeno teste, ergo secta vena facilius maiorem exanthematum copiam, in extimas partes natura effundet: confirmatur ex Rase 30. cont. t. 13. cap. 2. ex Auicenna lib. 4. fen. 1. tract. 4. c. 10. & aliis cum erumpentibus in principio variolis, morbillisque venam secari præcipiant: Consentiunt Mercurialis to. 3. consult. medic. consult. 6. Mercatus lib. 7. de febr. pestil. & malign. Eustach. Rudius lib. 3. cap. 30. Sennertus lib. 4. de febr. c. 13. Zacutus lib. 4. de praxi hist. cap. 28. ac maximi medicorum agminis instar (vt ceteros sileam) Franciscus Valesius in comment. lib. 7. epidem. text. 78.

Vsus

Vsus (inquit) *iam indicauit missiones sanguinis satis magnas, in huiusmodi febrium* (scilicet pettechialium) *principijs esse necessarias*.

Conclusio 2. Si non redundare materia videatur, aut virium imbecillitas deterreat, cucurbitulæ non spatulis, vt perperam id nonulli moliuntur, sed infra lumbos natibus femoribus, tibijsque affigendæ, deindeque scarificandæ sunt: aut etiam internis brachiorum pulpis, si exanthemata in facie eruperint, ac si scarificationes eæ non suffecerint, hirudines ani venis, ad crassum atrabiliariumque sanguinem exugendum applicandæ sunt; nunc aduersariorum argumenta diluamus.

Respondeo ad primum; naturæ motum alium esse criticum, alium symptomaticum, alium medium. Criticum esse sinendum, symptomaticum emendandum, medium adiuuandum: criticum fieri cum natura humorem improbum a probo secreuit, eumque victrix depellit: symptomaticum cum humoris praui copia, vel labe venefica lacessita, ad excretionem intempestiuam vrgetur, medium cum progressu morbi post aliqua coctionis delineamenta, constantibus mediocribus viribus sine vllo grauiore damno, nec insigni vtilitate excretio perficitur, ac licet noceat ante tempus naturam ad excretionem fuisse irritatam, iuuat tamen oneris parte leuatam fuisse, ad quam doctrinam illustrandam repetenda sunt ea, quæ Galenus de crisi non bona lib. 1. de diebus decretoriis cap. 2. eleganter scripsit; *vel imperfecta* inquit *vel infida*,

vel periculosa, vel obscura, vel sine signis, vel omnino ad malum accidere visa est: voco imperfectam iudicationem, cum ex morbo quippiam relinquitur; infidam, seu incertam, cum morbi recidiua contingit: periculosam, quæ cum symptomatibus grauibus accidit obscuram, quæ citra excretionem, vel abscessum, quempiam euidentem euenit: sine signis fieri dicitur, quæ a nullo priore die indicata est; mala dicitur: quæ in ægri perniciem omnino desiuit, rursus absolutam voco, quæ in morbo nihil facit reliqui, fidam firmam securam, quæ redit nunquam: tutam, quæ sine periculosis symptomatibus accidit: sic manifestam, cui excretio quædam, vel abscessus insignis, ac conspicuus adest, cum bonis signis accidit, quæ a contemplatorio prius indicata est: bonam esse, quæ ad sanitatem desinit non puto quempiam latere. Hactenus Galenus ex cuius verbis efflorescit motum naturæ, qui in principio morbi in excernendis pestichiis siue exanthematibus non esse criticum, sed vel imperfectum, vel infidum, vel ancipitem, vel obscurum, vel nullis signis prænunciatum, vel omnino in exitium præcipitare, propterea que illi non ita præfidendum, vt certiora remedia contemnenda sint.

Respondeo ad 2 veneficam labem exercita phlebotomia ad internas partes non reuocari: in lucido enim loco propterea ægrum collocamus, & secta vena somnum inhibemus ne spiritus ad interna recurrant; imo certa experientia; constat naturam parte sanguinis exoneratam fœlicius exanthe-

thematum excretionem promouisse.

Ad tertium Respondeo quantumuis medicus administer naturæ, & natura medici magistra domitrixque ægritudinum appelletur noxios tamen illius motus non sequi imperfectosque sua industria supplere debet medicus: cum itaque effusis in cute exanthematibus imperfectè admodum succos excreuerit natura, nil enim dignum, & memorabile illud est, quod in epidermide effloruit, seu per insensilem aporrhiam difflatum est si maligni pestilentisue humoris spectetur copia, iure medicus naturæ motum sequi putandus est, si partem humoris detraxerit præcipuè cum imminuta per phlebotomiam, & pharmacum materia ad reliquias hydroticis, & diaphoreticis tum per cutem euacuantibus exhauriendas studia, & molimina sua conuersurus sit de quo inferius. Respondeo ad quartum non consuli a nobis si vires defuerint phlebotomiam, sed si integræ fuerint, nec enim morbi initio eæ marcescunt, ac si quid phlebotomiam prohibeat, illius vicarias cucurbitulas scarificatas, vel surarum scarificationes ex Herodoto, Galeno; & Oribasio, ac frequenti Arabum, Turcarumque vsu vsurpandas, vel æmorroidalibus venis hirudines affigendas, denique ne fallatur medicus, an vires floreant, an flaccescant hoc præcepto a Galeno in libro de curandi ratione per sanguinis missionem informatur cap. 13. *Didicisti vehementi pulsui cum æquabilitate tanquam minimè fallaci virium robustarum signo fidem habere ex abundanti autem,*

& magno, itaque & septuagenario modo dicti pulsus adsint si affectus iubeat venam secabis.

Conclus. 3. De purgatione concludimus eam in pestichialibus febribus omnino vtilem, sed per mitiora medicamina tentandam, vt inter Gallos Ioubertus: inter Hispanos Valesius & Mercatus. inter Italos Mercurialis: inter Germanos Sennertus sanxerunt: parcitur scamoneatis. cum ab ambitu corporis ad ventrem humores trahant, nimium spiritus exagitent tum febrem augeant, vbi tamen morbus inclinarit, ne exustorum humorum residui cineres nouam ægritudinem creent; tuto administrari posse censentur: in principio ergo manna cum sero lactis, vel cum decoctione sennæ, & syrupo rosaceo solutiuo, vel aureo, vel Saporis, vel ex infusione florum persicorum, syrupus e cichorio cum rhabarbaro, mel rosaceum, aut infusio rhabarbari in decocto cordiali, aut thamarindi, myrobalani, agaricus, cassia, atque ex his composita catholicon: electuarium Alexandrinum, & similia conuenient, exemplum esto.

℞. iuiubas, sebesten singulorum numero decem pruna octo, hordei mundati, florum borraginis, & cichorii æquis partibus singulorum pugillum: sennæ, drachmas tres, seminum citri drachmam seminum anisi scriptulum fiat decoctio in aqua endiuiæ.

Dein in colaturæ vnc. iv. infunde rhabarbari sesquidrachmam, cinnamomi scriptulum, expressioneque facta dissolue electuarij alexandrini vnciam syrupi rosacei solutiui vnc. ii. chrystalli tartari., se-

midrachmam fiat potio. Vel ℞. pulpæ thamarind. drach. iii. rhabarbari in puluerem redacti sesquidrachmam tripheræ persicæ semunciam xylalois caphuræ gran. ii. fiat bolus cum conserua citri, aut melle rosaceo delibutus; immutantur medicamentorum formulæ secundum cuiusq; ægri temperamentum, diathesim, victus rationem consuetudinem aliasq; circumstantias modo id alta mente sit repostum vehementioribus temperandum, nec enim spectandum quanta excrementorum moles educatur, sed quam facilè ægri purgationem ferant, quod vero non expectata coctione sit medicamentum leniens offerendum probatur ex febrium pestichialium natura: illæ enim ex malignis, & crudis crassisque succis accenduntur, qui ob multitudinem a natura tolerari regique nequeunt, nec ob cruditatem crassitiemq; facilè excerni: inde curatio anceps medici industriam exercet, quia enim magna affluunt copia, lacessunt expultricem facultatem, quia crudi multo indigent tempore, vt concoquantur, quia crassi ægrius secerni attenuatique possunt: parte alia vix vlla facultas est, vt perpendit Franciscus Valesius, quæ vrgentem morbum diu sustineat hinc ebullientibus chymis ob conceptam putredinem erumpunt potius exanthemata memorata siue pestichiæ symptomatico lancinatæ, & incitatæ naturæ conatu, quam variolæ, quæ plerumque vi facultatis expultricis die quarto oboriuntur. Probatur secundo conclusio ex multitudine humorum qui efferri in febribus pe-

sti-

stichialibus in cerebrum consueuerunt, & crudelia inferre symptomata; nam ita a capite succi cacoethees reuelluntur cuius boni consequendi gratia refert Franciscus Valesius in comment text. 78. lib.7. epid. hac arte se visum esse *quamplurimis non sine magna vtilitate clysterem acrem mox a misso sanguine antequam perturbatio: & lypopsychia, quæ plerosque talium inuadit conquiesceret iussi infundi: commoti enim tunc, & exagitati succi abnndanter in ventrem secedunt.* De vomitu controuertet quispiam an in febre pestichiali, siue exanthematibus horrente conueniat.

Concl. 4. Decernimus non procurandum vomitum nisi sponte cacoethees succi in ventriculum influant, ac tepidæ aquæ haustu facilè reiiciantur, atque adeo antimoniales pulueres eorumque infusione medicatos liquores damnamus. Probatur conclusio. In hoc morbo os ventriculi acerrimo præditum sensu ob malignorum humorum erosionem facilè lipothymiam accersit, miramque cum corde, & cerebro sympathiam nanscitur ergo ii humores in ventriculi os, & caput non sunt trahendi, atque adeo vomitus mouendus non est: confirmatur ex Hippocr. lib.6.epidem sect.2.text. 23. *vomitus* inquit *non conferebant* in quam sententiam Galenus, & cæteri interpretes docent natura prauos succos ad extima detrudente, vomitum non conducere: non debilitandum est præterea caput cacoetheon halituum nube: ergo non irritandus vomitus: si vero sponte is acciderit oleo mastichi-

no, vel nardino, vel absinthii fomento fluctuans ventriculus confirmandus erit.

Concl. 5. Exhausta iam magna parte materiæ per vniuersales euacuationes diaphoretica, & hydrotica, & epispatica conueniunt in febre pestichiali. Probatur 1. authoritate Galeni in comm. in text. 29. sect. 2. lib. 6. epid. Hipp. vbi de remediis ad exanthemata idonea loquitur. Probatur 2. hac ratione: non tantum exanthemata, siue pestichiæ in cute extima efflorescunt, sed etiam tingunt intimam, & musculos, & parenchymata, & internos corporis ventres, latentes enim maligni succi omnia contaminant: cum ergo natura motum ad externa pertentarit; ea suffulcienda confirmandaq. est internis diaphoreticis, atque hydroticis, nam si ab externis fomentis teste Hippocrate iuuabatur, qui exanthematibus latis infectus erat, quod nempe humores ab internis partibus eo traherentur, ac discuterentur *alio vero tempore*, vt ait Galenus *huiusmodi succi qui exanthematum causæ erant in profundo delitescerent*, quanto magis diaphoretica, & hydrotica interna iuuabunt; vt enim externa spernenda non sunt: ita interna iis sunt anteferenda. At forte quispiam obiiciet inania a nobis cani: constare scilicet de externis exanthematibus an vero sint interna non constare nisi dissecto corpore. Respondeo per externa signa coniiciendum a perito medico internarum partium statum quare Franciscus Valesius in comment. cit. text. 23. sec. 2. lib. 6. epid. hæc memoriæ commendauit, *erum-*

pere

pere solent hæc non tantum ad externam cutem, sed ad internam etiam secundum corporis ventres vnde periculosa fieri plerumque censeo, cum scilicet ad asperam arteriam, & thoracem, & intestina erumpunt plurima, aut maxima, aut maligna, exire enim omnino introrsum quid prohibet. vt fit scabies in vesica, & intestinis, & vt intra poros narium fieri videmus, & intra os altissimè, sed & fieri plerumque, vt in quasdam internarum partium erumpant ex symptomatibus agnoscimus raucitas enim, & tussis quæ nonnunquam procedunt ad aphoniam; quin & ad strangulationem, indicant erumpere in asperæ arteriæ internam membranam: intestinis solet accidere primum dolor, deinde & dysentericæ fluxiones, exanthematibus interius in eis factis: sunt vero hæc omnia periculosa, si plurimum crescant; moderatiora enim sæpe fiunt in ijs etiam qui euadunt, & cum vniuersim, quæ introrsum erumpunt periculosiora sint, quam extrorsum, illorum etiam alia alijs sunt periculosiora, vt in has, aut illas erumpunt partes: in ventriculo enim longe, cum maiori fient periculo, quam in intestinis, ac præcipue in eius ore, ob actionis eius partis dignitatem, & compassionem cordis, atque in caput asperæ arteriæ ob eius angustiam, quam in partes alias: suspicor autem nonunquam in internum thoracem, & septum transuersum, & inter septum, ac pericardium atque fortasse etiam in ipsum cordis corpus irruere posse: conandum igitur extrorsum agere humores Hæc ille. Probatur 3. experientia plures fœliciter conualuisse e pestichiali febre, qui diaphoretica, & hydro-

drotica sumpsissent. Detur ergo hæc potio cardiaca eademque hydrotica, & diaphoretica ℞. lapidis belzaartici grana xv alkermis semidrachmam, diamargariti frigidi scriptulum: dissolue in aquæ cardui benedicti vnc. iv. aquæ theriacalis vncia, aquæ cinnamomi tribus drachmis, syrupi e scordio vncia, fiat potio, & stragula veste contecto ægro proliciatur sudor. Vel ℞. pulueris smaragdi præparati gran. viii. specierum confectionis liberantis scrupul. ii. confectionis hyacinthinæ semidrachmam lapidis belzaartici gran. xiii. dissolue in aqua scorzoneræ vnc. iv. aqua myrrhidis, vel scordii vnc. ii. adde syrupi de acredine citri sescunciam fiat potio affusis aliquot guttulis spiritus vitrioli. Vel ℞. contrahierbæ in puluerem redactæ drachmam vel extracti illius gran. vi. pulueris vnicornu rhinocerotis ambræ electæ singulorum tantundem theriacæ viginti annorum scrup. ii. dissolue in aqua scabiosæ, imperatoriæ, galegæ singulorum vnciis ii. syrupi e scordio sescuncia, fiat potio. Vel ℞. aquæ candaleæ coclear, aquæ theriacalis vnciam misce, cum aquæ scordii vnciis duabus saxifragiæ vnciis tribus syrupi granatorum sescuncia.

Vel ℞. electuarij e gemmis, theriacæ mediæ ætatis, cuiusque semidrachmam, cornu cerui præparati, scriptulum dissolue in aquæ melissæ, oxalidis singularum, vnciis tribus aquæ cinnamomi vncia, aquæ theriacalis, semuncia fiat potio, ita vero aqua cinnamomi paratur, vt in aquæ rosaceæ sesquilibra vini maluatici vntijs sex, vnciæ tres cin-

namo-

namomi macerentur, ac dein stillatitius liquor proliciatur.

Vel ℞. pulueris imperialis, scriptulum smaragdi, & hyacinthi præparatorum æquis partibus gran. vi. mitridatij scrup ii. dissolue in aquæ theriacalis, vncia, aquæ foliorum anisi, florum croci, radicum, & foliorum scorzoneræ, singulorum sescuncia, syrupi limonum vncia.

Vel ℞. mitridatii semidrachmam, specierum letitiæ galeni scrupulum, pulueris baccarum iuniperi, hederæque præparatorum, lapidis belzaartici semiscrupulum, dissolue in aquæ scordii, helenii, angelicæ singularum sescuncia, aquæ theriacalis semuncia.

Vel ℞ confectioni hyacinthinæ drachmam, dissolutam aqua sudorifera de porcospino nuncupata, quam nempe lapis infusus tenui spiritu paulo amaram efficit. Chymici dant flores sulphuris, cum myrrha croco, & aloe, ter præparatos ad scriptulos duos cum aquis sudoriferis, vel antimonium diaphoreticum nimirum, ter, quaterue cum nitro calcinatum, donec album euaserit, ac dein multiplici aquæ ablutione à nitro perpurgatum, vinique spiritu sæpius imbutum, cuius dosis à granis octo ad sexdecim cum theriacæ scrupulo, in aqua cardui benedicti, vel alterius propinatur, vel aquas sudoriferas, magno artis lenocinio cōficiunt, hæc porro aqua sudorifera, vti magno labore ita maximo fructu concinnatur.

℞. radicum petasitidis, caryophyllatæ, valerianæ ange-

angelicæ, petroselini, imperatoriæ, carolinæ singularum semunciam, bistortæ, aristolochiæ, rotundæ, helenii, gentianæ, cyperi, vincetoxici, vnciam, dictamni albi, mari myrrhidis, polii, montani, calaminthes, ocymi, scabiosæ, teucrii, æquis, cuiusque partibus manipulum, florum borraginis, buglossi, rorismarini, orminii, violarum, betonicæ, coronariæ, damascenæ, singulorum pugillum, seminum anisi, fœniculi florentini, oxalidis thlaspi, ameos, granorum chermes quorumcumque, drachmam; myrrhæ electæ, drachmas duas zedoariæ, doronici, galangæ, zingiberis, cinnamomi, cuiusque scriptulum, xylaloes, & santali citrini, singulorum drachmam, boli armenii, terræ sigillatæ, cuiusque semunciam, trita omnia vitreo vase excipiantur, superfundantur generosi vini stillatitii, libræ quatuor, aquæ oxalidis, capillorum veneris, pimpinellæ, scordii singularum libræ duæ, aquæ rosaceæ libra, vbi ad solem diebus decem, fuerint macerata, stillatitius omnium liquor prolicitur, in quo hæc infundenda.

℞. xylaloes drachmam, caryophyllorum, maceris sesquidrachmam, cinnamomi semunciam, aliptæ moschatæ scrupulum dimidium, coccinea, syndone collecta, hæc infundantur, & exprimantur: dosis erit à sescuncia ad vncias duas, eademque mirifica vi pollet, ad obtundendam veneficam labem. In sudore proliciendo, obseruandum tempus, quo perfecta est concoctio, dumque manat sudor à cibo, potuque abstinendum, nec extrema nu-

nudanda, ac præcipue iugulum, axillas, & inguina ab aura frigidiore arcenda, atque vbi detersus fuerit sudor, & permutata lintea, si aluus stiptica fuerit, clyster infunditur ex hac formula, vel simili. ℞. iusculi carnis libram, olei amigdalini, sacchari rubri singulorum vncias tres, nec semel sudores tentasse sufficit, sed ij sæpius irritandi, atque ad id commodè lapidis belzaartici scrupulus à succo limonum, & modica aqua rosacea, solutus carnis iusculo diluitur, vel aqua scordii, vel scorzoneræ, vel scabiosæ. At obiicies spontaneo quidem sudore ægros tempestiuè ab exitio vindicari, si vero arte prolicitur sudor augere febres, & vires plerumque imminui, nisi forte à natura sudorem moueri, cœptum promouerimus. Respondeo admitti à nobis medicæ artis principum consilium, qui tempestiuum sudandi tempus expectandum iubent, sudoresque sponte fluentes permittendos, vel promouendos, declinanda etiam calidiora, alexiteria, & hydrotica, ne febrim magis accendant, vt Galen. lib. 11. methodi admonuit, *cum remedia*, inquit, *quæ hæc perficiunt* (nempe sudores) *sint calida, necesse est, & putredinem augeri, & febrim*: ergo adnitendum est ea seligere, quæ minus calefaciant, propterea nec nimium stragula veste obruendos ægros, cum aliquos immanissimè à pertinacibus administris præfocari contigerit, tamen vt languida expultrix vis ad deiectiones ita ad sudores mouendos, lacessenda est, cum maiora inde sperentur commoda, quam in-

commoda formidentur; atque adeo ea maximè sudorifera vsurpanda, quæ longo vsu publicam laudem collegerunt, veluti quæ ex lapide belzaartico, confectione hyacinthina; & aqua theriacali constant. Hactenus de internis sudoriferis, quod ad externa attinet, consulit Hieronymus Mercurialis in febribus pestichialibus consult. medic. to. 3. consult. 5. vel semel, vel bis singulis diebus frictiones adhibendas; perfecta scilicet digestione manibus inunctis oleo amygdalino, aqua violacea, cum exigua nitri portione macerato: Franciscus Valesius in commentariis lib 6. epid. sect. 2. frictiones cum farina primum hordeacea ad detergendam cutim, meatusque illius reserandos; dein vero ad eam laxandam, imbuta oleo chamæmelino, manu frictiones exercendas, quas quidem antea Galenus lib. 11. meth. cap. 9. imperarat. *Totum corpus priusquam vacuaueris, rarefacere non expedit; vbi vacuatum est, vtique licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus insit rarefacias, cuiusmodi est, quod ex chamæmelo conficitur.* Consentit Aetius qui olei, & aquæ nitrum adiecit, sed defugienda tamen eorum est imprudentia, qui nimiis frictionibus corpus ægri interdum inflammarunt, vt refert Schenkius. ceterum eæ, vbi prudenter perficiuntur iniecta nitri drachma vncijs ii. olei chamemel. & vnc. iv. decocti meliloti, non modo hærentem cuti malignam materiam excutiunt, verum ex intimis partibus proliciunt, tum insensilem transpiratio- nem, ac diaphoresim, qua maximi curantur morbi

bi promouent, quod cum aduertissent Mauri attentem in frictionibus exercendis commenti fuerunt; ad extremas vero partes à principibus submotas, vrgendæ sunt, vt non modo epispasim, id est, attractionem, sed etiam antispasim, id est reuulsionem perficiant; sunt vero alia grauioris momenti reuellentia, de quibus nunc instituenda est oratio.

Concl. 6. reuellentia in febribus pestichialibus maximam afferunt vtilitatem, vt vesicantia brachiorum, tibiarumque pulpis affixa, vt cucurbitulæ, vt scarificationes, hirudinumque æmorroidales venas exugentiam vsus. Probatur conclusio, quæcumq; iuuant ad ichores ab intimis ad extima à partibus principibus, ad ignobiles transferendos, persanandæ febri pestichiali seruiunt, sed vesicantia id egregiè præstant, vt fœda ichorum ex disruptis vesicis manantium eluuies testatur, ergo in febre pestichiali sunt imponendæ. Probatur 2. ex praxi, qua hoc remedium vti præstantissimum à scientiæ medicæ signiferis, celebratum est. Tertio non dissentit, immo consonat Hippocrates dũ lib. 6. epidem. sect. 2. tex. 21. hoc fudit oraculum. *Reuellenda ea sunt, quæ quo non oportet, vergunt, sin autem quonam conuenit, iis tum viam obstruere decet quamnam in partem singula tendunt.* Hippocratem ducem sequitur Galenus in commentario; atqui cacoetheas chymos, si in internas partes refluant, non vergere quo oportet, certum est, ergo sunt reuellendi, sed commode reuelluntur per ve-

ficantia ad brachia, & tibias, ita enim fit secundum rectitudinem, quod Hippocrates, & Galenus expetunt, maligni humoris reuulsio ad partes, in quibus euacuari possit, nec nocere, ergo vesicantia in pestichiali febri maximè iuuant, pestichiæ enim prauitatem latentium, intus humorum indicant. ℞. pulueris cantharidum drachm. x. seminis ameos, & sinapi singulorum drachm. ii. piperis drachm. euphorbii scriptulum cum fermento acri, & aceto scyllitico fiant quatuor magdalia, pulpis brachiorum, & tibiarum applicanda, ac horis triginta, vel amplius superposito emplastro diachylon, ne sua sede dimoueantur, agglutinata cohæreant.

Elata in tumorem vesica conscindetur, ac butyro delibutum caulis folium adhibebitur, ne cicius vero, quam par est, vlcera exarescant, vnguentũ aliquod, vel ceratum electicum, si resurget, imponitur, argumentumque est conualituri ægri, si natura ichores suos in ea vlcera profuderit, vti econtra signum est extremæ debilitatis, si cacoethees succi, qui extrorsum agendi erant, reuelli non possint, & cicatrix promptè obducatur.

Damnant nonulli vesicantia, veluti morientium cruces, quasi dicantur eos seruasse, quos non occiderunt, nam in primis, inquiunt, augent febrim, ac symptomata illius, secundo ardorem vrinæ inferunt, & si vesicæ nocent, quia membranosa, ergo membranis omnibus nocebunt. Tertio magna eorum, quibus admouetur, multitudo

occum-

occumbit, ergo vesicantia proscribenda sunt. Respondeo ex Cornelii Celsi axiomate nil adeo magnificè prodesse, quod non ex aliqua parte obsit, licet ergo accendatur febrilis ardor, & æger graui dolore ex iis afficiatur, minus tamen periculi impendere ex vesicantibus: nam febris, reuulsis ab internis partibus prauis succis intus latentibus, quique leui vapore pestichias, siue exanthemata pingunt in epidermide, facilius debellatur, perpendendum etiam est ex Galeno lib. 11. methodi, duos esse scopos, qui à febri, & qui à putredine desumuntur, augetur quidem vesicantibus febris, sed imminuitur putredo, quid ergo agendum sit, audi, *putredo humorum est, quid præcedens febrim, ergo qui curare nituntur putredinem, debent necessario putredinem coercere.* Ad secundum respondeo demulceri vrinæ ardorem, datis syrupis refrigerantibus ex emulsione seminum frigidorum, amygdalarum dulcium, & hordei.
℞ seminum melonum, cucurbitæ, citrulli, cucumeris singulorum sesquidrachmam, sem. lactucæ, & endiuiæ, drachmam seminum amygdalarum dulcium semunciam, fiat emulsio in aquæ violarum, vel borraginis, vnciis tribus aquæ rosarum semuncia, adde decoctionis hordei, & sacchari quantum sufficit. Ad tertium respondeo, plures occumbere, non ob vesicantium malignitatem, sed febrium, in quibus adhibentur, quarum tanta est ferocia, vt licet omnia rectè administrentur, à medicis: tamen ægros interimant, exploratum

ratum vero est, vesicantia non interficere, cum plures euadant incolumes, sed veram mortis causam malignis illis humoribus ascribendam, quos natura ob debilitatem ad externas, & ignobiliores partes propellere non potuit; at obiicies illud Hippocraticum. *Semper prosis, ne quid obsis*, obest autem plurimum miserrimo ægro, qui vesicantium crucem illi imponit. Respondeo nunquam imponi à nobis vesicantia, si nulla affulserit salutis spes, nam vt Galenus ait, citato lib. 11. mech. *ex quo*, inquit, *salus condemnata foret, vanum esset auxilia, quæ plures seruarunt imperitorum calumniis prostituere*: Cum vero plures vesicantia respuant: rectè eorum vice cucurbitulæ pulpis internis brachiorum, & crurum affigendæ erunt, ac dein scarificandæ, nam à partibus principibus cacoetheas humores pestichiarum fontes reuellunt, vtque ichores eo facilius confluant, aqua salsa calenti scarificatas, partes fouendas admonet Franciscus Valesius. Hirudines pariter magna cum vtilitate hæmorroidalibus venis affigi, obseruat Mercurialis in consilio de febre pestichiali.

Concl. 7. in febre pestichiali corroborantibus internis, & externis aduersus malignam humorum vim, æger communiendus est. Probatur conclusio ex illo Galeni axiomate lib. 11. methodi. *Confirmanda est virtus, vt euincens putredinem, humores concoquat*. Tum ex alio axiomate, quod pluribus interiectis librat, nimirum medicinam esse additionem, vel detractionem, additionem defi-

cien-

cientium, detractionem redundantium, nam aliqua redundant, aliqua deficiunt, modo in quanto, modo in quali, ad quantum exhauriendum clysteres, phlebotomiam, purgationem, sudorifera, diaphoretica, frictiones, vesicantia, cucurbitulas, scarificationes, hirudinum suctus in febre pestichiali præscripsimus: nunc de qualitate humorum immutanda agendum, cum ergo illa malignitate sua cor oppugnet, pateat cor, aduersus prauas eius impressiones confirmandum, qualia ergo adhibenda sint, recenseamus.

In primis insçula oxalide, pimpinella, buglosso, endiuia, omphacio, vel succo limonum condiantur, in ijs etiam theriacalis aquæ semuncia, interdum permisceri potest, aut zulapii, contrayeruæ sesquidrachma, aut terra armena præparata, aut lemnia, aut medicæa, aut melitensis ad scriptulum dissolui potest, pro potu aqua hordei, radices scorzoneræ, imperatoriæ, petasitidis, cornu cerui, nec non lacca natiua incoqui, tum aliquot guttulæ spiritus vitrioli illi affundi possunt, syrupi etiam de ribibus, de berberis, de acredine citri, vel limonum sunt accommodati, temperandæ malignæ qualitati, vti etiam margaritarum in lapide porphyretico, læuigatarum puluis aqua scordii, & succo limonum aspersus, aut lapis belzaarticus ad grana xv. vel xx. cum aqua rosacea, & succo limonum dilutus hauritur, non vno tantum die, sed pluribus, aut porriguntur pilulæ aduersus malignam putredinem compositæ, ex descriptione

Capiuaccij in calce lib. 6. ℞. foliola auri num. tria, cornu cerui scriptulum, lapidis bezoartici grana xv. hyacinthi scriptulum dimidium, margaritarum grana vii. succo citri imbuta omnia redigantur in quinque pilulas, quarum vna duabus horis ante cibum degluriatur, vel scrupulus confectionis liberantis, vel dialaccę, vel alkermis, vel confectionis hyacinthinæ, vel rosatæ nouellæ, vel diamargariti frigidi, vel diamusci dulcis, cum succo oxalidis vel pimpinellæ, vel scordii concreto, vel acredine citri, vel berberum, vel vuæ crispæ datur.

Aut conficitur electuarium ex plurium cardiacorum congerie. ℞. pulueris imperialis drachm. diamargariti frigidi scriptulos duos, cornu cerui præparati semidrachmam, boli armeni, aqua scordii, & aceto rosaceo antea macerati sesquidrachmam, lapidis belzaartici semidrachmam, rob ribium vnc. ii. syrupi granatorum vnciam: partitis vicibus sumat æger cochlearis quantitate in potu, vel post. Aut cardiaca potio præscribitur.

℞. seminum oxalidis, cardui benedicti, citri, & napi singulorum drachmam, dissolue in aquæ scabiosæ vnc. iv. & fiat emulsio, cui adde diamargariti frigidi scriptulum, syrupi e scordio semunciam misce. Aut mixtura imperatur. ℞. hyacinthi granatorum, smaragdi, præparatorum æquis partibus grana quatuor, lapidis belzoartici grana octo, boli armeni, corallorum rubrorum, singulorum semidrachmam, terræ melitensis scrupulum, corticum citri semunciam, manuschristi drachm. ii.

con-

conseruæ de acredine citri unciam, fiat mixtura.

Cardiaca externa, non temnenda sunt cum suam vim beneficam posse imprimere exploratum sit, eximia vi pollent olea Carauitæ, vel magni ducis Hetruriæ, vel e corticibus citri, vel e semine anisi, vel spiritus rosatum regioni cordis, vel carporum temporumque arterus illita, vel theriaca aceto e scordio, vel angelica, vel iunco odorato temperata, vel epithemata ex cardiacis composita admouentur. ℞. aquarum melissæ, borraginis oxalidis rosarum, singularum uncias quatuor vini albi generosi unciam, aceti semunciam, croci semi scrupulum, alkermis semidrachmam fiat, epithema cum panno coccineo: permiscent aliqui puluerem belzaarticum gemmarum; corallorum alborum, & rubrorum, hyacinthi, smaragdi, granatorum, sed grauis lis vertitur, an mera sint mediconum plura agentium ne nihil agere videantur ludibria; nam etsi quis preciosorum lapidum sacculos, & gemmata monilia cordi apposuerit nulla vi corroborante confirmari cum nullos fundant spiritus experietur: accommodatius, itaque erit sacculum ex violis, rosis, santalis, macere, cinnamomo, caryophyllis xylaloe, ambra, odorata, moscho, croco, osse e corde cerui comparare, & aqua rosacea, & florum aurantiorum aceto rosaceo temperata perfundere, & admouere cordi.

Eximium etiam est hoc epithema. ℞ aquarum nasse, angelicæ, oxalidis, rosarum singularum uncias tres, vini maluatici uncias duas, aceti e radic.

tunicæ vnciam xylaloes ſuccini corticum mali citrii ſingulorum ſcrupulum trochiſcorum e caphura ſemidrachmam croci gran. 8. moſchi gran. tria miſce, & cum ſyndone purpurea fiat epithema.

Si hepar efferueſcere videatur, cum ex nimio ardore venis concepto grauioris diſcriminis terror impendeat, permulcendus eſt epithemate perfrigerante is feruor. ℞. aquarum cichorii endiuiæ capillorum veneris abſynthii oxalidis vncias tres aceti vnciam. ſpecierum diarhodon abbatis ſemidrachmam, trium ſantalorum ſcriptulũ, fiat epithema.

De adminiſtratione ſex rerum non naturalium obſeruandum cum erumpunt peſtichiæ in lucido aere, ægrum tenendum nam lux, & calor imo, & color ad proliciendum foras malignum humorem iuuant. In victu perfrigerantes, & humectantes cibi deligendi ſunt, itaque ſi æger abundat opibus gallinaceæ pullæ, & vitulæ lactentis carnes borragine, lactuca, oxalide, pimpinella condiantur, atque cum emulſione ſeminum melonum in aqua roſacea panatella ex eo iuſculo conficiatur: de cibi qualitate conſentiunt vniuerſi: de quantitate vero diſſentiunt; nam liberaliorem indulgendum certant alii, ne venefica labes intimas partes adoriatur; at nos hebetem eſſe, & imbecillum natiuum calorem perpendimus, atque ex nimia ciborum copia obrui, itaque exhiberi quidem cibum ſæpius minore vero copia offerendum præcipimus. De vino controuerſiam mouent, qui pro ægris, vt loquar cum Celſo deliciarum patrocinium ſuſcipiunt,

piunt, ac stomachum nimium debilitatum iri exhorrescunt Concludimus non audiendas ventris querelas; nam inualidum caput vini halitu nimium offenditur, & licet vini potu mox atque haustum est vires confirmari videantur, tamen aucta febri magis infringi quisque experiri potest: in declinatione morbi omnino illud permittendum aqua plurima dilutum, cum vrinas moueat morbique reliquijs per cutem difflandis prosit, vt Galenus in methodo edisserit, itaque in morbi principio incremento; & statu aqua hordeacea, syrupo limonum vel granatorum, vel ribium, vel berberum condita, vel spiritus vitrioli guttulis leuibus suffusa contentus sit æger, at si virium nimia imbecillitas nos vrgeat, quia morituris anceps remedium præbere melius est, quam nullum: vinum non quidem generosum, vt imperiti factitant carnificum, quam medicorum nomine digniores, sed oligophorum exhibebimus, nec enim tantum perpendendum est quam excellens sit agens, sed quomodo patiens ad agentis impressionem excipiendam sit dispositum, artis enim medicæ summus apex in agentium passiuis applicandorum peritia, ac solertia constat.

Aduertendum etiam marcidas vires per aquas carnis pullorum stillatitias, vel concretos carnium liquores vtilius recreari. ℞. iusculi pullarum gallinacearum incoctarum cum lactuca, oxalide, pimpinella, buglosso, melissophyllo libras sex, conseruæ cichorii, violarum citri rosarum cuiusque vnciam

diam argariti frigidi drachmas duas croci semiscripulum radicum caryophyllatæ angelicæ, tormentillæ dictamni contusarum æquis partibus drachmas duas, succi limonum vncias tres, aquæ scordii vncias quatuor consusa omnia, ac diligenter trita vaporario vitreo inclusa mergantur aqua feruenti, ac sensim liquor proliciatur: hic ad putredinem edomandam viresq. refocillandas aptissimus erit.

Concretus etiam pullorum, & vitulinæ carnis liquor, vulgo parari consueuit, qui refrigerantibus cardiacis temperandus est, martius etiam panis iusculo acido imbutus offerendus: ideoque cupediæ istæ magis necessariæ, quo ventriculus prauo humore suffusus cibos vehementius auersabitur, denique somni sint leues, pathemata rationis fræno coercita, & aluus segnior blandis enæmatibus solicitetur.

De symptomatibus aliis pestis mitigandis.

CAP. XX.

SI nimius vomitus frangat vires internis externisque præsidiis cohibendus est. ℞. theriacæ veteris. semidrachmam: alkermis scrupulum cum conserua rosarum fiat bolus. Vel ℞. pilularum Ruffi scrup. ii. mitridatii scrup. i. fiat bolus, ita corro-

boratur stomachus, ac simul prauus humor in intestina depellitur. Vel ℞. confectionis hyacinthinæ drachmam cum conserua citri. Vel ℞. tincturæ corallorum gutt. z. cum vini granatorum vnc. iii. misce. Vel ℞. boli armeni præparati semidrachmam pulueris scordii scriptulum diamargariti frigidi, pulueris corallorum singulorum grana decem cum syrupo de angelica, vel de acredine citri vnc. ii. Sal omphacii arte chimica paratum ad semiscripulum datum in iusculo carnis iuuat. vel ℞. Xyloaloes mastiches tria sandali seminum portulacæ singulorum scripulum, cum aqua menthæ, & syrupo ribium. Nec prosunt modo quæ ventriculi dissolutam vim confirmant, sed etiam quæ prauos humores suaui permixtione demulcent. ℞. ergo panis medullam acido succo malorum granatorum imbutam aspersamq. puluere diarhodon abbatis, superbibe aquæ scorzoneræ frigidiusculæ vnc. iv. syrupi limonum sescunciam affusis aliquot guttulis spiritus vitrioli: aut aquam portulacæ ad vncias tres cum syrupi de omphacio vncia, & guttis duodecim tincturæ corallorum, etsi vero vomitu remedium eiectum fuerit aliud tamen ingerendum est. Contingit nonunquam, vt humor, qui vomitum prouocat, atræ bilis permixtione erodat, ac tum obtundenda est humoris acrimonia, quæ vomitum lacessit. ℞. seminum psyllii, & cydoniorum singulorum semunciam, fiat muccilago in aquæ exalidis vnciis tribus adde oxysacchari sescunciam aquæ theriacalis semunciam; Circa exter-

terna decernimus non emplastica, & stiptica nimium, sed cardiaca admouenda. ℞ olei mastichini, absynthitis singulorum semunciam, theriacæ drachmas duas, cum pauxillo ceræ fiat *linimentum*: vel fomentum ex absynthio, & scordio aceto rosaceo irroratis compara, vel crustam panis adustam perfusamque succo cydoniorum, vel omphacii. ac puluere corallorum mastiches, & trium santalorum, nec non menthæ oleo delibutam admoue: aut malum cydonium, vel granatum posca incoctum calens applica: aut emplastrum stomachicum, aut e crusta ex discriptione Montagnanæ, vel nardinum: vel hunc sacculum conficito. ℞. fol. angelicæ, scordii, rosarum, absynthi manip. dimidium radicum cyperi zedoariæ singulor. drach. ii. caryophyllorum cinnamomi, maceris semidrachmam tenui syndone intersuta includantur, ac theriacali aqua maluatico mixta perfundantur. At quia vomitus interdum ob affectum cerebrum per sympathiam concitatur, nam sexta neruorum propago e cerebro fusa, ori ventriculi inseritur: odoramenta ex aceto belzoartico, & aqua rosacea non parum iuuant: corroborato enim cerebro ventriculus vires exolescentes confirmat: quanti vero intersit vomitum, si profusior vires debilitet compescere, ex dignitate ventriculi efflorescit, quam illustrat Hippocr. in lib. de succis hac eximia sententia *qualis terra arboribus, talis venter animalibus.*

Proximum vomitui, & nauseæ symptoma est fastidium, & ciborum horror, tunc ex acetosis

con-

condimenta paranda sunt diuitibus vero concreti vitulinæ carnis, & caponum succi, aut carnium liquores cardiacis permixti in balneo mariano proliciti, & alia huiusmodi ad delicias concinnantur

Singultus, si ab humoribus ventriculi tunicis hærentibus, qui acredine praua lancinent neruosas partes, concitetur, vomitu percurandus est, aut sorbitiunculis perfrigerantibus, & cardiacis, qui humores demulceant veluti emulsionibus seminum frigidorum, vel mucculaginibus seminum psyllii, cydoniorum in aqua plantaginis, & rosarum cum syrupo granatorum, vel similibus, nam vt ait Galen. in comm. aph. 17. lib 7. *bile admodum calida, & multa in hepatis inflammationibus genita, ac confluente ad intestinorum principium, atque ita recurrente, contingit os eius morderi, atque adeo singultire*. Si a venefico halitu vellicante os ventriculi, singultus oriatur, ad cardiaca confugiendum est. ℞. confectionis hyacinthinæ scrupulos duos alkermis scrupulum, cum conserua citri fiat bolus superbibat aquæ scorzoneræ vnc. iv. syrupi è scordio sescunciam: Detur etiam in iusculis aquæ theriacalis semuncia, & similia cardiaca propinentur. Si denique febrili ardore exaruerit ventriculus, ex inanitione singultum patitur, cui medendo humana scientia impar est, sed solatia inuenit; nam medicæ industriæ pars in eo sita est, vt morituris corporeæ salutis illecebra, ad adipiscendā immortalitatē seruiat, itaq; arentem ventriculū oleo rosaceo, & amydalino foueri imperabit, refrigerantia & car-

dia-

diaca iuscula præscribet, diamargariti frigidi, & boli armeni præparati singulorum scriptulum in emulsione seminum frigidorum dissoluet, vertebas oleo vermium, & chamæmelino inungi præcipiet ne atrociores spasmi ægrum corripiant, tentandum etiam an conciliato somno singultus sedari possit. ℞. laudani opiati grana tria cum conserua buglossi fiat bolus. *In siti* animaduertendum aliam ex pulmonum æstu aliam ex ventriculi ariditate accendi, ac priorem frigido aere alteram potu leniri: interdum etiam vtroq; symptomate exasperari quare Hippocrates sect. 3. lib. 6. epid. text. 29. hoc paregoricon egregium imperat *Sitim sedans; os claudere, tacere, ventum cum potu frigidum inducere*. Circa potum, vt liberalior frigidæ potus permittendus non est; ita nec siti nimia vexandus est æger commendaturque hordei decoctio, spiritus vitrioli ad iucundam aciditatem perfusione medicata, vel oxysaccharo condita, aqua etiam thamarindorum celebratur ℥ vnciæ tres, cum pugillo hordei mundi in libris sex aquæ ad consumptionem tertiæ partis adiectis drachmis tribus santali citrini decoquantur, vel saccharum ad candorem excoctum spiritu vitrioli madefiat iterumque exsiccetur huius vncia, & altera manuschristi gemmatæ, cum libra aquæ borraginis dissoluatur. vel ℞. aquæ rutæ caprariæ nympheæ lactucæ oxalidis singularum vncias sex syrupi violacei syrupi limonum, e ribibus, vel granatorum singulorum vnciam, nitri præparati drachmam misce, & partitis

vi-

vicibus dato: vel accipe decoctum radicum acetosæ, & cornu cerui libras tres, syrupi limonum vncias quatuor, atque spiritum vitrioli ad guttas aliquot affundito, vt leuem aciditatem trahat: dantur etiam emulsiones seminum papaueris, *lactucæ*, & melonum dissolutorum in aqua violarum, extergendæ etiam sunt linguæ sordes posca, & os frequentius colluendum: epithemata quoque refrigerantia cordi, & hepati, vti oxyrhodina fronti admota, & irrigationes capitis iuuant: fallitur etiam sitis, coralliis, & crystallo ore circumductis, succo malorum punicorum leuiter degustato, aut limonum taleolis, aut conserua omphacii, vel cerasorum, vel ribium, vel vuarum crisparum aqua frigida abluta, aut pilulis sublingualibus ex tragacantha, & seminibus papauerum, & psyllii, cum aqua rosacea confectis, vel ℞. trochischorum de caphura, de spodio singulorum drachmam, triasandali, diamargariti frigidi, singulorum scrupulum, conseruæ citri semunciam, cum syrupo de oxalide fiat conditum: irroretur facies aqua rosacea, & aceto volæ manum, & plantæ pedum iisdem perfundantur. Cæterum obseruandum sitim, quæ in principio paroxysmorum, vel in incremento, vel in crisibus excandescit generosè tolerandam, & si arente, ac nigrescente lingua sitis euanuerit facultatem frigidi, & humidi appetitiuam non sine lethali argumento exoleuisse, vt Hipp. & Galen. obseruant.

Lypothymia palpitatio syncope, & cardialgia alia pestis mala plerumque asperant: tunc ergo chie-

riacalis aquæ semunciam, cum succo granatorum, vel iusculo dato, aqua rosacea, & aceto belzoartico faciem ablue, regionem cordis oleo magni ducis Hetruriæ contra venena inscripto, arterias temporum, & carporum, cum oesophagi principium illine, aut oleum e scorpionibus compositum ex descriptione Mathioli; aut theriacam, & confectionem hyacinthinam aceto, e calamo aromatico, & scordio parato dissolutas inungito, dein sacculum e rosis, violis, nenuphare, santalis puluereque radicum angelicæ, helenii, bistortæ, caryophyllorum refertum, & aqua rosacea perfusum superimponito. Obseruandum etiam lipothymia tentatis exquisitissimos cibos vti carnium concretos liquores, consummata, instaurantia stillatitia si fieri possit pro ægrorum fortunis instruenda.

In syncope, quia præceps viriũ lapsus est non eadem modo, sed multo etiam accuratiora præsidia offerenda: celebratur in hoc discrimine aquæ candaleæ cochlear, cum aqua scorzoneræ: aqua theriacalis caphurata, cum aqua melissæ, & pauxillo aceti rosacei: Alkermis scriptulus, cum zulapio gemmato: & quia vinum, chymicorum extracta omnia, e spoliis vtriusque orbis petita in reficiendis viribus vincit, quamuis aliunde noceret febri, ægro instillandum est: epithema admouendum cordi ex xylaloe, caryophyllis, cinnamomo, croco, moscho aquis rorismarini, melissæ, rosarum, mari, & vino maluatico, aut alio odorifero, aut ex oleo, & corticibus citri, & confectione alkermes: & quia ex

Hip-

Hippocrate odoramenta citissimè reficiunt spiritus illa ex aceto, e radicibus tunicæ, aqua florum citrangulorum, xylaloe, puluere radicum angelicæ, corticibus citrij mali, ambaro, moscho, & aquis rosacea, sampsuchi, & melissophylli confici possunt, vel ex santalis corallo rubro, aceto, & oleo anisi. Diamuscum, vel diambra, vel mithridatium, vel confectio liberantis, vel aromaticum rosatum, vel theriaca ad scrup. i. vel ii. ingerenda, vel ℞. conseruæ citri semunciam, ossis e corde cerui scriptulum, confectionis alkermes, diamargariti frigidi singulorum semidrachmam, cum syrupo de acredine citri fiat electuarium, In iusculo etiam instaurante, pro diuitibus ambari leucophæi odorati, grana tria spiritus rosarum guttæ duæ, aquæ theriacalis drachmæ tres soluantur, vel martium panem vino granatorum delibutum præbe. Obseruandum autem est, si ex ingenti dolore, nimia excretione ex crebriore motu, ex nimiis vigiliis, ex vehementiore pathemate, syncope intercidat minus formidandam: si vero, tristi syncope, & frequenti sine causa conspicua exoluanter ægri vires: de illius salute conclamatum ex aph. 41. lib. 2.

Alui fluxus, colliquatiuus, biliosus, vel dysentericus nec non coma, vel vigiliæ, aut phrenitis, aut paraphrenitis reliqua pestis symptomata non raro efferarunt, quæ cum aliis morbis sint communia, & in disquisitionibus nostris theoricis, & practicis febrium fusius pertractentur consulto nunc prætermissa sunt.

Quæ in pueris,& prægnantibus peſte infectis obſeruanda.

CAP. XXI.

PErſonuit Neapolis parturientium pupulorumq; humana ope deſtitutorum gemitibus; ſimilibusq.tremeret Roma niſi Alexander VII. patrumque, & matrum affectus vinceret: vniuerſas opes, quas larga manu inopibus honeſtis; tum mendicis collectis ne vicatim mendicando inficiantur,infectiue ciuibus peſtem allinant partitur, pro ſalute publica profuſurus. Si lactens pupulus peſte corripitur,non deſerendus eſt tanquam de illius ſalute conclamatum ſit. purgari poteſt, ſi benignum pharmacum nutrici veluti ex triphera perſica, ex catholico, e manna, e rhabarbaro porrigatur, vt medicamenti purgantis vim lac ſuſcipiat; aut ipſe pupulus duobus; vel tribus cochlearibus ſyrupi roſacei ſolutiui, aut ſyrupi e cichorio cum rhabarbaro, fœliciter purgari poteſt: aut clyſma ex ſero lactis caprini, in quo drachmæ tres, vel quinque mellis roſacei ſolutiui diluantur, cùm pauxillo ſale iniici poteſt,vel balanus facilis ſupponi. Si nimio ſanguine abundet,hirudines venis podicis, vel ſaphenæ; aut brachii affigi poterunt.

Si cruditate laboret, ea concoquenda eſt ſubtracto parumper alimento, & cataplaſmate ventri appoſito ex melle, croco, medulla panis, ac ſucco menthæ. Corroborantia aliqua tuto dari poſſunt,vt co-

cochlearia duo aquæ theriacalis ex succis refrigerantibus compositæ: grana octo, vel decem confectionis hyacinthinæ, aut diamargariti frigidi, aut diascordii lacte soluantur, vel ℞. confectionis hyacinthinæ gran. iv. diamargariti frigidi, lapidis bezoartici, singul. gran. iii. cum duobus cochlearibus syrupi e scordio dentur. cætera quæ vi calidiore pollent, nocebunt pueris non aliter, quam imbellem oculum radius ferit, theriaca vino diluta cordi, & naribus, & manuum arteriis illinatur, aut si nimius ardor illum exurat epithema adhibe ex aquis, buglossi, oxalidis, & rosarum.

Si aluus nimium fluxerit. ℞. olei absynthini cydonior. mastichini cuiusque drachmas duas pulueris rosarum rubrarum, corallorum, santalorum, corticum granat. cuiusque scrupulum ceræ parum: fiat linimentum, vel inungito oleo menthæ, dein vstulatum panem imbutum vino aspersumque cinnamomi, & aromatici rosati pulueribus ventriculo imponito, vel ℞. corticum granatorum, cydoniorum, rosarum rubrarum, absynthii, balaustiorum, æquis partibus semimanipulum incocta, & rusa cum oleo rosaceo omphacino, & luto armenio fiat emplastrum. Vt natura vero ad emunctoria conceptum venenum detrudat facilius, inguina oleo rosaceo completo, amygdalino, & liliaceo illinantur. Si forte in ijs tumor oboriatur, is ad maturitatem benignis remedijs perducendus est, inque mitigando dolore, sub quo succumbere solent, artis apex collocandus.

Cum

Cum vero laborare vermibus consueuerint præstantissima est olei Medicæi contra venena inscripti inunctio, cuius affinis descriptio ex Leonis X. scriniis extat; apud Fallopium, vt vmbilicus, os stomachi, cor, nares, arteriæ temporum, & carporum eo perlinantur, vel si defuerit vmbilicus & os stomachi theriaca aceto soluta vngantur, vel ℞. myrrhæ, aloes cuiusque drachmam succi abrotani, absynthii pulueris seminum tanaceti, pulueris corallinæ, scordii singulorum semiscrupulum ceræ therebinthinæ, & resinæ quant. suff. vt ceratum fiat, vel ℞. absinthii, lupinorum, abrotani, scordii semimanipulum contusa perfusaque aceto ventri applicentur: interna vero hæc iuuant ℞. cochlearia duo theriacalis aquæ è succis scordii limonum oxalidis, & galegæ compositæ puluereque corallinæ, vel aquæ graminis spiritu vitrioli temperata, clysmata etiam ad vermes ad partes infernas pelliciendos ex lacte iniicito: mox vero, vt ea illecebra delliniti descenderunt, aut simul cum lacte reiiciuntur, aut si in recto intestino hærent alio clysmate ex oleo, succo limonum, absynthii lupinorum, & sale obruuntur, vel ℞. folia persicæ arboris, absynthii pontici tanaceti manip. fiat decoctio, adde olei absynthiaci semunciam, myrrhæ scrupulum fiat clysma, Deploratis hydrargyrum instar duum cicerum propinatur, ac nummi aurei induuntur ano. Si vigiliæ puppulum torqueant, oleo ex hyoscyami seminibus expresso, & vnguento populeonis, tempora, frons, nares oblinenda sunt;

nu-

nutrix papillam aqua theriacali in qua solutum sit saccharum rosaceum abluat cum vbera admotura est, dein vero vbi puer lac suxit, iterum aqua oxalidis vino albo temperata proluat: si vbera præbere abnuat: capra pro nutrice danda est: illa a natura edocta etiam aliquando sponte se prosternit vberaque præbet quæ aliqui puppuli admota non exhorrescunt, si exhorreant recentissimè emulctum lac præbendum est; caueant nutrices ne theriaca, & similibus nimium vtantur; nam lacti vim imprimunt, quæ tabem in lactentibus inductura est, sed potius refrigerantia cardiaca sumant, caueant etiam a theriacalibus prægnantes, cum fœtum visceribus inuolutum perimere possint, dum præsidia aduersus pestem anxiè conquirunt fœtuq; enecato, aut debilitato grauissimum vitæ discrimen incurrant: quia vero animaduersum est tum ex pathematum ex infaustis rumoribus concitata procella, tum ex tempestatis constitutione plures fœminas aborsum pati: medicamina ad fœtum, vt maturo partui reseruetur continendum adhibenda sunt: interna remedia, quæ vires tantum reficiunt, vt hyacinthina confectio, alkermes, diamargaritum frigidum, diascordium tutò accipi possunt a prægnante ad scriptulos duos cum conserua rosarum, buglossi, violarum, florum cichorij, vel thyrsis lactucarum, vt etiam hæc aqua ad vnciam in iusculo a prægnante tuto accipitur. ℞. aquarum scordij, pimpinellæ, trifolij acetosi, vel angelicæ, cichorii, oxalidis, rosarum, melissæ, scorzoneræ, sin-

gu-

gulatum semilibram, confectionis hyacinthinæ, alkermis, diamargariti frigidi cuiusque semunciam, conseruæ florum buglossi vnciam: maceratis omnibus ex artis chymicæ præcepto stillaticius liquor in balneo mariano proliciatur. Hæc etiam confectio interdum accepta profuit; ℞ pulueris gemmarum candentium, coralli rubri, & albi singulorum drachmam, succini scriptulos duos, seminum oxalidis, pimpinellæ, seseleos, xylaloes, santali citrini, cuiusq; semidrachmam lapidis belzaartici, cornu cerui, lapidis æmatitidis sanguinis draconis, luti armenii scriptulum, hyacinthi, & granati redactorum in puluerem semidrach. sacchari in aqua scordii, & rosarum dissoluti vncias sex, syrupi e corticibus citri vel radicibus angelicæ sescunciam: omnibus accuratè permistis fiat confectio. Dosis erit ad drachmas duas, concinnatur eadem compositio in tabellas. & vini haustus postea sorbetur, vt permeantis venas illius beneficio fœtus potiatur, Vel ℞. trochiscorum e terra sigillata, è karabe singulorum scriptulum, luti armenii, cum aqua rosacea præparati scriptulos ii. corallorum rubrorum, rasuræ eboris, sanguinis draconis semiscrupulum, pulueris radicum angelicæ semidrachmam: dosis erit semidrachma inspersa recenti ouo. Externa etiam iuuant. veluti inunctio ex oleo masthichino, absynthino, cydoniorum insperso corallorum, sanguinis draconis, boli armeni, lapidis æmatitidis, menthæ, maceris, caryophyllorum, angelicæ, xylaloes, santalorumque puluere;
aut

aut malum granatum vino maluatico: seu alias generoso, & rubro; aut etiam aceto incoctum, ac pulueribus boli armeni, caryophyllorum, cinnamomi perfusum adiecto ladano iuuit: vel emplastro comitissæ e Varignana, aut de corticibus Monatignanæ vtitor, vel ℞. olei mastichini; myrthini cydoniorum cuiusque semunciam, pulueris coralliorum, masticis, gallarum, boli armeni, sanguinis draconis, santali citrini, menthæ cuiusque semidrachmam ceræ quant. suff. fiat vnguentum, vel ℞. olei florum aurantiorum, vel de spica, olei rosacei cuiusque vnc. coralli, santali rubri cuiusque semidrachmam ambræ, & moschi singulorum grana vi. cum cera fiat vnguentum:

In pueris ablactatis animaduertendum ne theriaca, vel mithridatium nisi in exigua mole dentur, cum pharmaca calidiora in ijs accendere febrim soleant, ac pro ætatis, temperamenti, ac virium ratione medicamina misceantur.

Cum vero sudoriferis maxime pestiferum venenum expugnari consueuerit, sudore autem nimio facilè imbelles puerorum vires dissoluantur, in promouendo sudore modus, adhibendus est. recreandæ igitur vires impulsa flabello leni aura, ac aceto bezoartico theriacæ momento condito, & aqua rosacea temperato nares illinendæ: commodè verò hoc hydroticon datur. ℞. alkermis gran. xii. lapidis belzaartici grana vii. aquæ theriacalis drach. iii. aquæ cardui benedicti vnc. ii. syrupi e radicibus angelicæ drach. iii. vel ℞. confect. hyacinthinæ theria-

riacæ cuiusque semiscriptulum cornu monocerotis smaragdi præp. cuiusque grana iv. dissolue in aquæ scorzoneræ, & florum papaueris rhœadis cuiusque vncia, syrupi e scordio semuncia fiat potio. Si minus fœliciter erumpat sudor, promouendus est spongijs in rorismarini, scordii, angelicæ syluestris, saluiæ hyssopi, lauendulæ, lauri decocto calenti infusis & expressis, quæ subinde emunctorijs cordis sub axillis, & inguinibus admotæ permutandæ sunt.

De pestifera infectione repurganda.

CAP. XXII.

Qvandam pestis cum lepra veterum Iudæorum analogiam habet: nam illa, non modo corpora, sed etiam vestes, ligna, saxaq. albis rufisq. maculis contaminabat, quæ nisi eluerentur aquis, vestes, seu laneæ, seu lineæ, seu pelliceæ flammis exuri Leuit. c. 13 domusque abradi dein euerti iubebantur Leuit. 14. qui vero a lepra vindicatus esset vestes abluebat corpusque ab omni sorde, ita repurgabat, vt pilos omnes etiam superciliorum, nouacula raderet. Non quid absimile cum peste infectis geritur; nam exuti vestibus spongia imbuta decocto calenti foliorum lauri, citri, cupressi, thymi, saluiæ, nepethæ, ocymi, lauendulæ, menthæ,

origani pulegii, & similium corpus abluere: pilos omnes eradere, vti honestas permiserit: iterumque oxycrato corpus perfundere; alias suffire iuniperino fumo, aut thure myrrha, & ladano carbonibus iniectis aliquando inter rogos hinc inde dispositos discurrere, ac demum puras nitidasque vestes induere iubentur: eorum vero supellex ædesque infectæ varia arte a venenata aura, quæ ijs inhæserat repurgantur; quibus prætermissis ex pestis semine stragulæ, vesti, aut panno, aut ligno, aut saxo quisquilijsue hærente tetra mortium agmina aliquando eruperunt. Constant tristia eius rei exempla apud Fracast. lib. 2. de morb. contag. c. 7. apud Schenkium obseru. lib. 6. apud Alex. Benedictum lib. de pest. cap. 3. apud Forest. lib. 6. in schol. ad obs. 22. apud Trincauell. lib. 3. cons. 17.

Purgantur vero inquinatæ peste domus hoc ordine: muniti egregiè alexipharmacis audaces viri tormentarium puluerem, quâ par est prudentia & industria accendunt; nam partim igne, partim, fumo, partim valido motu concisus in varias atomos pestifer aer, nocendi vim amittit, plurimam etiam flammam in subductili rogo excitant in quo thymum, rorem marinum, mentham, pulegium, origanum, iuniperi baccas, laurum, cortices citri, aurantia etiam mala, & citria, & myrtum, & cupressinas nuces, & similia odorifera accendunt: subductilem vero rogulum densam nubem vomentem circumferunt, cui etiam puluerem vitrioli, nitri, sulphuris, salis, aluminis æquis partibus bac-

carum iuniperi, cupressi, lauri, hederæ singularum quadrante thuris, myrræque sextante constantem iniiciunt. Alij tædas piceas sulphure, pice, therebinthina, resina oblitas accendunt, vt densa nube domum compleant, tum vas aceto acerrimo plenum cui salem, sulphur, nitrum, alumen, sandaracam, cinnabarim factitiam, auripigmentum, mastichem, vitriolum herbasque, & baccas odoriferas iniecere prunis ardentibus imponunt, vt acriore fumo veneni vim dissoluant: alij ignitos lateres, aut ferreas laminas ardentes aceto huiusmodi perfundunt atque e magmate puluerem ad suffitum parandum componunt, si acetum defuerit lixiuio e calce vtuntur: insternunt etiam pauimento calcem, ebullienteque inde halitu, quæuis pestis semina abolentur, apertis dein fenestris, vt liberiore aere vndique cubicula perflentur omnes sordes diligenter exportantur, ac parietes omnes perliti calce recenti inalbantur: quod ad supellectilem domesticam attinet.

Obseruandum autem quoties acriores fumi, qui pulmonibus nocere possunt excitantur præcipiti fuga ijs excitatis discedendum, & quantumuis odoriferi fumi sensibus humanis lenocinentur acres tamen, & igneos fumos maiore vi ad extinguenda pestis semina pollere: secundo fumum aliquot dierum flexu excitandum, quod ad suppellectilem domesticam attinet; ea vel linea, vel cannabina, vel gossypina, vel lanea, vel sericea, vel pellicea, vel chartacea, vel lignea, vel metallica, vel testacea. In serica, & libraria repurganda suffitus adhi-

hibentur in quibus adolendis hic puluis idoneus est. ℞, thuris, mastiches, ladani, sulphuris, nitri, myrrhæ, vitrioli singulorum semunciam therebinthinæ, resinæ, picis nigræ, æquali mensura vnciam, radicum caryophyllatæ, angelicæ syluestris, valerianæ, helenij, zedoariæ æquis partibus semunciam, trium sandalorum sescunciam, fol. lauri, citri, cupressi, sabinæ, singulorum vnciam, absinthii menthæ, saluiæ, pulegii, polii, rutæ, thymi, hyssopi, serpilli, myrrhidis, rorismarini, maioranæ, semunciam baccarum, myrti, lauri, iuniperi, cupressi singulorum vnciam fiat puluis: nonnulli myrtho, iunipero, therebinthina, thure, & puluere tormentario, suffumigationes edunt, aut purgandam suppellectilem per flammas præcipue e ligno laurino, cupressino, iuniperino, corylino, excitatas versant: flamma enim pestis semina immutat, dissipat, extinguit, virgisque percussam soli, & vento boreali exponunt: nonnulli etiam decurrentibus aquis immersam ab omni labe fœliciter vindicarunt. Linei cannabini, & gossypini panni mersi currentibus aquis, dein in feruente lixiuio contracta pestilentiæ semina facile deponunt, vti lanei in aqua alumine medicata: pari arte in iis culcitris, & puluinaribus mundandis vtendum: pellicea & plumacea si ægrorum corporum aporriam exceperint, flammis tradenda: pestifera enim miasmata tenacius retinent, sulphureo autem potius suffitu quam alio odorato, a lue liberantur, picturatæ tabellæ excusso puluere, exponuntur boreæ, vel abluuntur, lignea

de-

denique metallica, testacea, marmoreaue supellex lixiuio, vel posca, vel igne purgatur.

De tempore expurgandorum hæc Ficinus in epidemiarum antidoto cap. 23. habet, *Pestis tempore purificantur communiter homines spatio quatuordecim dierum; domus, & lignamenta in viginti vno; vestes, & panni spatio dierum viginti octo si rectè purificentur.* Hæc ille verum certa experientia confirmatum vidimus, octidui flexu idoneis suffitibus admotis, vel lixiuio, vel posca, vel aqua alumine medicata perfusa, aut flamma lambente tacta ab omni contagionis suspicione vindicata, ac Natalis comes historiar. lib. 21. testatur duodecim Rhœtos Venetiis infectarum ædium supellectilem omnem suffitu excellente quem sulphureum fuisse existimo probe purgatam triduo lapso restituisse: suffire autem primum dein abluere, postremo soli, & vento exponere consueuerunt.

Laus Deo vni, & Trino.

Pag.	Lin	Errata.	Correctiones.
1	19	ſcpit.	ſerpit
7	4	incuſſæ	incuſſa
34	23	hec	heu
44	10.	hnnm	humum
59	21	antiquam	antiquum
70	15	fames	fomes
78	15	Spintum	ſpir ituum
81	17	iacanduit	incandui t
93	7	ferius	ſer tu s
94	14	inſanis	in ſanis
100	10	aut	aut
102	1	ſi.	ſi.
104	7	ſicci	ſicci
108	8	Serpir	ſerpit
117	8	cxiritiates.	exitiales.
118	3	rnm	tum.
128	18	ipſi	ipſis
131	18	vel	*adde* vt
131	25	ſub hunc	hunc ſub
133	20	Laudani	Ladani
137	5	conipiendam	concipiendam
177	29.	macetatur	maceratur
189		non modo quæ exterins afflantur corpori ſed quæ etiam interius concepta. ſunt .	Lege non modo quæ interius concepta ſunt ſed etiam quæ exterius a fricantur corpori : inter ea excellit
243	17	cydonorum.	cydoniorum
258	25.	diaſcurdij	diaſcordij
260		denedicti	benedicti
261	14	indicant	indicant
278	7	CAP. VI.	XVI.
306	18	parata	parato
309	2	reſpuenti	reſpuenrem.
319	tit.	XVIX.	XIX.
306	30.	ſolam.	ſolani
340.	18.	reſurget.	res vaget.